Brugis, typis Houdmont Fratrum.

Periodica de re morali, canonica liturgica,

ARTHURUS VERMEERSCH e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, ROMAE, IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS

PERIODICA

DE RE CANONICA ET MORALI

UTILIA PRAESERTIM

RELIGIOSIS et MISSIONARIIS

TOMUS NONUS

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

BRUGIS

SUMPTIBUS CAROLI BEYAERT

BARCELONAE
EUG. SUBIRANA
Puerta ferrisa

ROMAE (19)
DEPOSITO LIBRI, UNIVERSITA GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1921

16752

V. 9

IMPRIMI POTEST

F. Willaert, S. I.

NIHIL OBSTAT

Brugis, 19a novembris 1920.

Em. De Jaegher, *Can. lib. cens.*

IMPRIMATUR

Brugis, 19a novembris 1920.

H. Van den Berghe, *Vic. gen.*

DISSERTATIONES ET QUAESITA

QUAESTIONES DE CODICE CANONICO

Mens nostra non ea est ut ex integro, in his Periodicis, ius religiosorum et missionariorum, quale nunc viget, referamus : hoc enim praestabimus nova editione nostri operis de religiosis, quae magnam partem iam scripta est, quamvis, propter plura negotiorum impedimenta, illam nondum typis mandare potuerimus. Verum potissimas quasdam quaestiones hic attingere et versare nobis in animo est, illas praeferendo de quibus dubia nobis proposita sunt.

In hoc autem tomo, postquam punctum magis commune tractaverimus, alteram partem religiosis, partem alteram missionariis destinabimus. Itaque praesens fasciculus, praeter quaestionem generalem communem, aget *de religiosis*.

I. De vi rescriptorum SS. Congregationum

Interpretativa iuris responsa, quae a SS. Congregationibus non per decretum generale, sed per rescripta dari consueverunt, diuturnae et nondum solutae quaestioni originem dederunt. Quam quaestionem nullus operis canonici iuris vel moralis theologiae auctor praetermisit ; S. Sedes tamen eam auctoritative solvere hactenus noluit.

Quaestionem hanc retractare hoc loco non proponimus. Sed ad novam dubitationem nos convertimus quae nata est ex quo C. *Promulgandi,* 29 sept. 1908 (*Periodica,* t. 4, n. 291, p. 288) S. Pontifex haec decrevit : « Edicimus ut... Commentarium officiale de Apostolicae Sedis actis edatur Vaticanis typis. Volumus autem Constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum Sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Praelati a secretis... inserta et in vulgus edita, hac una eaque unica ratione legitime promulgata haberi, quotiens promulgatione sit opus, nec aliter

fuerit a S. Sede provisum. Volumus praeterea in idem Commentarium cetera S. Sedis acta referri, quae ad communem cognitionem videantur utilia, quantum certe ipsorum natura sinat ».

Quod c. 9 confirmatur. — Codex quidem, c. 17, § 3, ita statuit : « Data (interpretatio) per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est ». Quid iuris autem, si rescriptum istud in Acta A. S. inseratur ? Nonne tunc vim valoris universalis acquirit, cum promulgatum sit et natura sua generali, vim legis habere possit ? Quod si istud negetur, quid insertio ista significabit vel efficiet ? Sic olim particularia rescripta S. Pontificis, insertione in Corpus Iuris pro legibus universalibus valere coeperunt.

Atque ita fortasse dicendum foret, nisi, ex ipsa C. *Promulgandi,* non solae leges, sed alia quoque documenta, scitu utilia, in A. A. S. referenda forent. Ceterum, quod hodie insertio in A. A. S. efficit, olim ipsa divulgatione actorum obtinebatur. Audiatur ipsa C. *Promulgandi.* « Id fere in consuetudinem venit, ut Acta S. Sedis eiusque decreta, in Officio a secretis a quo edita, essent, legitima auctoritate, vulgata, hoc ipso promulgata haberentur ». Nemo tamen contendebat vim universalem rescriptis declarativis tali divulgatione acquiri. Discretione itaque opus est.

Ipsa Acta dubium solverent, si exsecutione compleretur instructio Secretariae Status, quae t. 2, p. 37 A. A. S. legitur. N° enim 4 imperatur divisio Commentarii in duas partes : officialem et illustrativam. In priore poni debebant omnia acta, disposita, decreta et instructiones a S. Sede profecta, quae promulgatione indigent ut vim legis habeant... Altera destinabatur decretis et sententiis quae, ad cognoscendam praxim Curiae utiliter cognoscerentur, vel normas dare possent iurisprudentiae ; vota consultorum, informationes et notitias promotionum vel nominationum, etc.

Sed ista distributionis ratio numquam observata est. Quare ad propria argumenta recurrendum est. Quid ergo dicemus ?

Ut diploma quoddam vim legis habeat, non satis est ut condicioni promulgationis satisfaciat, sed in primis oportet ut potestas publica legem ferre voluerit. Voluntas ista non sola insertione manifestatur. Canon vero 17, 3, diversam normam suppeditat. Vim legis negat ipsi authenticae interpretationi quae data sit per modum rescripti in re peculiari. Id ergo considerandum superest in rescriptis quae in A. A. S. inseruntur, utrum necne certis personis et negotiis maneant circumscripta. Iam vero, illud ex ipsa inscriptione apparere putamus. Ubi dioecesis vel causa vel nomen petentis indicata

fuerint, rescriptum manet formaliter particulare. Si vero, suppressa tali mentione, nihil nisi verbum *Dubia* vel simile praescribitur, omnibus proponi videtur authentica declaratio, quae proin omnes ligabit.

Eritne tamen superflua insertio rescriptorum quae particularia manent ? Minime. De iis tunc authentice constat. Omnibus, non tantum secura regula agendi suppeditatur, sed quasi tacita invitatio datur hanc normam sequendi. Ac plerumque, tali auctoritate freti, iuris interpretes assentientur; et obtinebitur interpretatio usualis, connivente legislatore.

Itaque, insertio in Acta A. S. omnibus documentis certam dat authentiam ; omnibus magnam conciliat auctoritatem ; vim tamen legis non addit, nisi ex modo insertionis, ad omnes directa demonstretur.

Responsa autem quae in A. A. S. praetermittuntur ipsa promulgatione carent ut vim legis habere queant. Personas obligabunt ad quas directa sunt, sed pro solo negotio pro quo data sunt. Ceteris tamen quoque, quibus certo constant, tutam normam agendi praebent. Sed ne invitatio quidem fit ut omnes ei responso se conforment. Ipsa S. Sedes tunc nondum voluisse censetur de re definitive decernere.

II. De abrogatione iuris anterioris

Vigente Codice, quaestio facile exoritur de vi quam leges disciplinares anteriores circa religiosos retinuerint. Ac duplex declaratio authentica, prior de iuramento antimodernistico, altera de servitio militari religiosorum, definiendo adhuc vigere leges quas communis sententia privatorum interpretum robore suo destitutas existimabat, causa esse potest cur valde timide de tali abrogatione dicatur. Videtur tamen ad utilitatem communem expedire et menti Pontificis gloriose regnantis esse consentaneum, ut potius facile pro libertate respondeamus. Sin minus, pro Codice completo unde ius vigens, methodice propositum et satis simplex, commode colligatur, rediret paulatim multitudo ista decretorum et instructionum quae paternam religionum administrationem non parum impediunt et dubia creant et anxietates quibus Codicis auctor mederi proposuit. Porro id non semel nec obscure significavit S. Pontifex, se velle ut egregium iuris monumentum suam unitatem et utilitatem totam servaret. Quare nec probare possumus scriptores piorum operum qui, in principio vitae mirabilis cuiuspiam Servi Dei, inserendas esse existiment protestationes quas putant esse praescriptas ab Urbano VIII de miraculis aut de appellatione Sancti vel Beati. Plerumque nec protestationem ponunt sicut ab Urbano VIII exigebatur, et lex illa iam a Leone XIII, C.

Officiorum et munerum, est sublata. (Cf. nostrum *De Prohibitione et censura librorum*, ed. 5, n. 79).

Verum, in praesenti causa nostra, de vi quaeritur variorum decretorum quae non ita pridem a S. C. de Religiosis edita sunt : *Inter ea*, 30 iul. 1909, de debitis contrahendis (*Period.* t. 5, n. 331, p. 11, ss.) ; *Ecclesia Christi*, 7 sept. 1909, cum decl. 5 apr. 1910, de quibusdam postulantibus non admittendis (*Period.* t. 5, n. 346 et 392, pp. 53. 123) ; *In articulo*, 7 sept. 1909, de studiis (*Period.* t. 5, n. 242, p. 44) ; *Quo propositum*, de postulatu (*Period.* t. 6, n. 614, p. 284); *Cum de sacramentalibus*, 3 febr. 1913, de monialium et sororum confessionibus (*Period.* t. 7, n. 652, p. 86). Huc addas varia decreta quae vel ad mensam legi vel Constitutionibus subiungi aut inseri praecipiebantur. Ac partibus severioribus, saltem pro priore genere decretorum, favere videtur c. 6, qui leges anteriores non abrogat, nisi Codicis praescriptis oppositas (§ 1) vel quae nec explicite nec implicite in Codice continentur (§ 6). Iam vero dici possit, implicite in Codice contineri decreta de postulatu, de studiis, etc., in canonibus qui materias istas modo satis simili ordinant.

Verum argumentum huius modi contrariam conclusionem, ex ipso Codice, demonstrat, si attendamus ad c. 22. Hoc enim canone, « Lex posterior, a competente auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, *aut totam de integro ordinet legis prioris materium* ». Ad hanc regulam principalem non satis attenditur. Manifesta tamen ratione comprobatur. Non expedit ut subditi quasi duas leges parallelas de eodem argumento observandas habeant. Quocirca, sine ambagibus, decreta supra memorata pro suppressis habebimus. Positive praeterea, nixi tum silentio Codicis de ista obligatione, ubi argumentum tractat, tum c. 509, § 2 quae Superioribus obligationem imponit ut legantur decreta quae publice legenda S. Sedes *praescribet* (non dicit : *praescripsit* vel *praescribit*), id addimus, hodie nullum iam esse decretum quod, ex iure communi sit ad mensam legendum vel Constitutionibus inserendum aut his subiungendum.

— Non ideo tamen prudentes istae S. Sedis normae neglegendae sunt. Securam enim suppeditant regulam agendi ; et, si incipiant Superiores neglegere v. g. cautiones quae praescriptae erant ne postulantes, ante peracta studia convenientia in novicios clericos admitterentur, mox sequetur commune detrimentum, et suprema potestas quasi cogetur particulares et minutas imponere leges, quae actionem et administrationem Superiorum graviorem non parum reddunt.

III. De impedimentis ingressus in religionem

In titulo XI, *De admissione in religionem,* quaestio fit utrum condiciones valido vel legitimo ingressui in *noviciatum* appositae, iam in cooptandis *postulantibus* servandae sint. Est qui affirmet. Cf. v. g. *Nederl. Kathol. Stemmen*, 1919, p. 163, ubi istud ex c. 538 colligitur. Ibi enim per verba : « In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo iegitimo detineatur impedimento » omnes impeditos excludi. — Verum intentio istius canonis potius huc tendit, ut declaret religionem per se cuivis catholico patere, quam velit impedimenta accurate definire. Praeterea, cum ingressus in religionem strictius ingressus per professionem, latius, ingressus per noviciatum (Cf. nostrum *De Religiosis*, etc., I, n. 134), et latissime per postulatum, singulis modis ingrediendi sua propria impedimenta obstare possunt. Quare argumentum istud inefficax demonstratur. Praeterea, de exigentia communi novi iusis et superioris, i. e. de litteris testimonialibus, antea declaratum est litteras istas postulandas esse ante quam candidatus habitum indueret. Hoc plerumque non a postulatu sed a noviciatu fieri consuevit. Cur hodie severius respondeamus de dispositione quae, ex c. 6, § 3, a veteri iure interpretationem mutuatur, sane non videmus.

Iam vero, Codex, distinctis capitibus, agit de postulatu et de noviciatu. Articulo I alterius capitis, agit De requisitis ut quis in noviciatum admittatur. – Quo iure impedimenta, quae stricte sunt interpretanda, ad postulatum applicare velis ? Ac res ista practica utilitate non caret. Fieri v. g. poterit ut, dum praesens adest candidatus, litterae testimoniales exspectandae sint. Non parum utile esse poterit ut interea, ubi postulatus praescribatur, hunc iam utiliter inchoare queat.

Per se patet, conclusionem istam de iis solis impedimentis valere quae iure positivo nituntur, et solis idoneis catholicis prodesse. Acatholici enim et non idonei, ne ut postulantes quidem admitti debent. Hic, ipse c. 538 appellari potest.

IV. De variis litteris exigendis ante ingressum

1. Quaeritur quo rigore, ante ipsum ingressum, *testimonium baptismi et confirmationis,* ex c. 544. § 1, obtineri debeat.

Per se observandam esse claram iuris dispositionem, manifestum est. Et plerumque nulla difficultas obstat quin ante ipsum postulatum, sicut paragraphus ista postulare videtur, tale documentum afferatur. Fieri tamen potest per accidens,

ut, v. g. propter interruptas communicationes postales. litterae tempestive haberi nequeant, et dilatio ingressus damnosa vel saltem graviter onerosa fiat candidato ceterum idoneo. Ratio tunc est perpendendi gravitatem istius obligationis. Iam vero, quando persona aspirantis est omni exceptione maior, ita ut nullum dubium sit de eius baptismo et confirmatione, gravem imponi obligationem minime constat. Tuta itaque conscientia poterit Superior adhibere principium : « Lex non obligat cum tanto incommodo », ita ut aspiranti permittat ingressum ante receptas litteras, quas tamen petere non omittet.

2. De *litteris testimonialibus*, quae postulandae et iuratae dandae sunt audito Ordinario, a Superiore seminarii, collegii vel alius religionis postulatus aut noviciatus, in quo candidatus fuerit, dubitatur quid veniat nomine *collegii*.

Per se, attento usu Urbis, nomine collegii veniunt omnes, utriusque sexus, communitates non religiosae convictorum sub Superiore dirigente constitutae. Ipsi itaque convictus in quibus ad humanitatem adulescentes omnis vocationis indiscriminatim instituuntur, ipsa conservatoria puellarum inter collegia ponuntur. Si tamen, praeter contubernales, institutum etiam ab alumnis externis frequentatur, respectu solum convictorum, non autem externorum est et dicitur collegium.

In hoc tamen canone, donec authentica interpretatio intervenerit, vocem minus ample sumendam arbitramur de solis institutis quibus clerici, religiosi vel religiosae praeparantur. Etenim :

a) Canon desumptus est a declaratione S. C. de Religiosis, 5 apr. 1910, ad II et ad IV, conferenda cum decl. 4 ian. 1910, 2, ubi clare de solis collegiis ecclesiasticis seu religiosis agebatur. (Cf. *Per.* t. 5. n. 378, p. 98 99 et n. 392, p. 123).

b) Vox collegium ponitur inter voces *Seminarium* et *religionis postulatum*, quae ambo instituta sacerdotes vel religiosos praeparant.

c) Cautio specialis testimonii iurati demonstrat agi de adulescentibus vel iuvenibus qui in aliquam suspicionem saltem mutatae voluntatis et vocationis incurrunt. Sed quaenam suspicio cadit in adulescentem qui, finitis studiis gymnasialibus et lycealibus, e « suo collegio » egreditur, ut statum eligat ? Cur tanta severitate, praeter testimonium Ordinarii qui, ut officio suo indagandi satisfaciat, Superiorem collegii (lato sensu) interrogabit, requiruntur litterae quoque immediate a Rectore datae, et quidem post auditum Ordinarium ?

Si autem nomine collegii intellegas solam domum quae seminario aequipolleat, omnia bene cohaerent. Cum iuvenes isti, per maximam saltem anni partem, in seminario vivant valde separati ab incolis loci ubi est seminarium, per ferias

autem in seminario degere pergunt, vel patriam suam repetunt, potius quam ab Ordinario loci, qui eos ignorat, a rectore seminarii litterae petendae sunt. His receptis litteris, Ordinarius ille, qui iam est auditus, non praeterea interrogandus erit.

Postremum istud assertum confirmatur responso quod, die 28 iul. 1918, acceptum novimus a Fratribus scholarum christianarum. Hi, necessariam Ordinariorum loci ignorantiam allegantes, petierunt utrum, pro alumnis sui « minoris noviciatus » *(Petits noviciats)* litteras testimoniales ab Ordinario loci exquirere deberent. Ac responsum est negative.

Ergo, si iuvenes isti, consilium mutantes, alius religionis noviciatum ingredi voluerint, a solo Superiore minoris noviciatus vel a Superiore maiore Fratrum scholarum christianarum (prout minorem noviciatum tamquam collegium ecclesiasticum vel tamquam postulatum consideraveris) litterae petendae erunt.

Iuratae autem litterae propter mutatum vitae consilium dandae erunt. Cf. etiam c. 545, § 4, in fine, ubi ratio afferenda dicitur de causa cur e collegio dimissi sint vel sponte discesserint.

Habita itaque ratione finis legis et iuris anterioris, collegia sunt domus, in quibus, in spem status clericalis aut religiosi amplectendi, adulescentes speciali cura aluntur et instituuntur. Sunt etiam domus, « in quibus puellae speciali cura in spem amplectendae vitae religiosae educantur » (S. C. de Religiosis, 4 iun. 1910, 2.)

V. De Domicilio religiosorum

Ante Codicem, religiosi domicilium necessarium habebant in loco conventus cui ascripti erant ; idque vi ascriptionis, ante realem commorationem. Cf. Schmalzgrueber, in l. 2, T. 2, n. 14 ; Laurin, *Archiv*, t. 26, p. 167. Manetne eadem regula, vigente Codice ? Namque Codex nihil expresse dicit de domicilio religiosorum ; nec, c. 93, religiosi inter eos computantur qui legale domicilium obtinent. Res tamen ambigenda non videtur.

Id sequitur ex eius natura, ex mancipatione ista qua religiosi se regendos tradunt Ordini et Superioribus. Analogia iuris idem confirmat : Minoribus Codex domicilium necessarium assignat. Tandem ipse Codex ius pristinum implicite confirmat, in principali applicationis casu, i. e., cum agitur de ordinatione. Litteras enim dimissorias, c. 965 dirigendas dicit ad episcopum dioecesis « in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus. » Novimus autem litteras dimissorias ad episcopum domicilii mitti debere.

Scriptores examinare non solent a quo momento religiosi necessario isti domicilio sint astricti. Ipsosque post professionem votorum perpetuorum teneri, ambigi nequit, cum tunc ex c. 585, ipsa dioecesis originis amittatur. Quid autem de professis temporariis ; quid de noviciis ? Si intentionem attendamus qua re vera, et secundum legis mentem initium dant vitae religiosae, sane, sine animo redeundi, loco ubi domicilium habebant valedixerunt. Quare domicilium voluntarium saltem paroeciale amittunt, nisi forte domus noviciatus in sua paroecia esset constituta. Ac pari modo, voluntarium domicilium dioecesanum servabunt vel amittent, prout conventus cui ascribuntur in sua dioecesi constitutum est vel non.

Quid autem de necessario domicilio in loco conventus ? Illud *omni* professione acquiri putamus ; tum quia tale domicilium animo religiosi omnino respondet ; tum quia c. 956 id indirecte statuitur. Loquendo enim de religiosis qui iure saecularium ordinantur, quales, cum agitur de ordinibus sacris, ii sunt qui non habent nisi vota temporaria, iisdem omnibus supponit domicilium distinctum a domicilio originis, pro quo simplici domicilio omnes dispensat a iuramento quod saeculares ordinandi praestare debent.

Noviciis autem non competit, nostra sententia, nisi domicilium voluntarium. Hoc habebunt in loco monasterii, si pertinent ad Ordines antiquos ubi monachi, a primo initio, stabiliter eidem monasterio ascripti sunt. Sed in religionibus recentioribus, intentionem perpetuae mansionis in domo noviciatus habere nequeunt. Ergo in loco monasterii non habebunt nisi quasi-domicilium. Si provincia religiosa eosdem quos dioecesis limites habeat, simul tamen domicilium dioecesanum acquirent, propter eorum intentionem perpetuo manendi in provincia, quae ipsis est quasi monasterium.

Quid autem, si minores natu, domicilii voluntarii sint incapaces ? Cum Codex regulae c. 93 nullam exceptionem apponat, saltem novicii domicilium necessarium quod ante ingressum possidebant retinere videntur. Quasi domicilium in loco noviciatus acquirent.

Quod ad professos votorum temporalium, res ambigi potest. Ipsi enim iam non parentibus vel tutori subsunt sed potius monasterio seu conventui. Quare eos arbitramur domicilium necessarium parentum vel tutoris, domicilio necessario conventus commutasse.

Possit itaque parochus qui, ante ingressum proprius erat novicii, hunc etiam extra dioecesim, propter ordinariam suam iurisdictionem, sacramentaliter absolvere.

VI. De extensione vocis clerici ad religiosos

Duplex quaestio oritur. In rebus favorabilibus, veniuntne nomine clericorum etiam religiosi qui tonsuram clericalem non acceperunt? — In rebus odiosis, ut poenis, quando poena edicitur contra clericos, afficitne quoque religiosos clericos?

Ante Codicem, satis receptum erat nomine clericorum venire quoque religiosos in favorabilibus, non autem in odiosis. Codex autem, cum c. 108 clare definiat quinam sint clerici; cum, c. 614 indicet privilegia clericorum quibus religiosi etiam laici fruuntur, extensionem istam inutilem fecit et proinde suppressit. — Ipse dein, v. g. clericos a religiosis distinguit, illos cum clericis conumerans. Cf. cc. 2336. 2343.

Sed aliunde, poena qua *clerici* plectuntur, afficit quoque religiosos qui vere *clerici* sunt. Ratio exceptionis nulla proferri potest.

VII. De Confessionum regimine apud religiosos et religiosas

Cotidiana dubia quae de confessionum regimine proponuntur nos movent ut argumentum istud satis plena ratione sub oculis ponere conemur, saltem quod attinet copiam confessariorum, et optionem subditis datam, omissa quaestione de Superiore a quo varii confessarii deputandi sunt: quae res minus ambigitur.

In argumento isto ordinando, tres principales fuere quas vocabimus sollicitudines legislatoris:

I. Per se cupit ut religiosi et religiosae contenti sint ea copia confessariorum quam recepti mores et Constitutiones ipsis praesto esse iubent, ita ut etiam haec forma vitae communis suaviter quidem sed constanter inculcetur.

II. Sacra tamen ipsi est sufficiens conscientiae libertas. Itaque non vult ut cum detrimento spirituali unius animae, communis ista observantia urgeatur. Haec ergo cedere debet accidentali animae necessitati vel spirituali utilitati; immo Codex praecipit ut speciali infirmitati vel difficultati paterne occurratur; ideoque plures exceptionum modos ipse definit.

III. Sedulo vult ut omnis externa administratio a cura fori interioris ac potissimum ab actione in foro sacramentali secernatur et separetur.

Age porro, nulla alia meliore ratione et textum legum et mentem legislatoris simul proponere posse videmur quam si,

secundum dicta tria capita, commentarios nostros disposuerimus.

Ex ipso Codice, causa religiosorum virorum a causa monialium et sororum seiungenda est.

A. De religiosis viris

I. *Regimen commune.* — 1. In religionibus *clericalibus*, optio plurium confessariorum semper omnibus danda est (cc. 518. 519). *Novitiis* tamen potest unus confessarius tamquam solus ordinarius assignari. (c. 566, § 2, 1) — Atque in religione exempta, designati confessarii muniendi sunt habituali potestate absolvendi *a casibus* in religione reservatis. A casibus, i. e. ut ex c. 519 colligitur, a peccatis et a censuris.

Vigere pergunt regulae quae vel imperant vel suadent ut suum quisque stabilem confessarium eligat. (c. 519)

2. In domibus religionum *laicalium*, sufficit ut unus confessarius tamquam ordinarius designetur.

II. *Cautiones de libertate conscientiae.* — 1. Semper *valida* est confessio a religioso viro, etiam exempto, peracta apud sacerdotem regularem, eiusdem aut alius religionis, vel saecularem, ab Ordinario loci approbatum ; et is confessarius ipso iure communi facultatem acquirit absolvendi religiosum paenitentem a peccatis et a censuris in religione reservatis. (cc. 519. 874)

2. Aditus huius modi confessarii numquam ergo est sub gravi prohibitus. Evadit autem prorsus *licitus*, si confessio fit apud talem confessarium, *ad quietem conscientiae*. (c. 519) Fit autem ad quietem conscientiae, quotiescumque ex confessione sic facta, maior speratur conscientiae quies, sive propter maiorem fiduciam in doctrina vel virtute confessarii, sive propter magis candidam accusationem, sive propter proximiorem confitendi occasionem (ut si ordinarius afuerit). Hae rationes per se sunt accidentales ; ubi tamen permanens causa fuerit, permanens permittitur exceptio. Melius tamen tunc fuerit diversum istum confessarium, qui habitualis evadat, cum licentia Superioris eligere.

3. In laicali religione, ubi unus confessarius ordinarius sufficit, debet etiam deputari extraordinarius. Is itaque ultro interdum domum religiosam adire debet et religiosis offerri. Religiosis tamen obligatio non imponitur ut singuli ipsum adeant saltem benedictionem accepturi. Codex enim de hac obligatione silet, et in viris professis deficit per se ratio timiditatis cur id sororibus et noviciis imperetur.

Ac religioso qui *specialem* confessarium expostulet, i. e. confessarium habitualem, ab ordinario distinctum, Superior

talem concedere debet, « nullo modo rationem petitionis inquirens, neque id aegre se ferre demonstrans » (c. 528).

4. Praeter ordinarium vel ordinarios confessarios, ad liberum usum *noviciorum* in casibus particularibus, aliqui alii confessarii designandi sunt. (c. 566, 3)

Atque, etiam si plures sint confessarii ordinarii, quater in anno *noviciis* dari debet extraordinarius, ad quem omnes accedant, saltem benedictionem accepturi. Namque c. 566, 4 id statuit postquam n. 1 et 2 unum vel plures confessarios ordinarios noviciorum supposuit.

Itaque novicii, non minus quam alii, confessarios ab Ordinario loci approbatos adire possunt ; sed praeterea cautio peculiaris imponitur, ut aliqui confessarii praeter ordinarium ipsis offerantur.

Quaeres utrum necne religiosi indigeant licentia Superioris ad exeundum e domo ut confessarium approbatum adeant. — Procul dubio id affirmandum est. Nec domo exire poterunt nisi generales praescriptiones observando quae, aliàe in aliis Institutis, exitum e claustris regunt. Nulla enim relaxatio clausurae ideo iure communi conceditur.

Potestne autem Superior licentiam ideo exeundi negare ? — R. Licentiam istam non potest denegare ne confessarius adeatur ; sed nec eam concedere ideo debet, si alia iusta causa, ex communi ordinis ratione vel ex persona petentis manans, illi egressui obstat.

III. *Cautiones de utriusque fori separatione.* — 1. Facta proprio Superiori religionis clericalis exemptae, confessio semper valida est (c. 873, § 2). Ac perinde dicas de magistro noviciorum, eiusque socio, si hi, vel secundum normas proprias Instituti, vel ab Ordinario loci iurisdictionem obtinuerint. Verum Superiores cavere debent ne aliqua ratione, per se vel per alium, subditum inducant ut peccata apud se confiteatur. Itaque, ut licita sit haec confessio, oportet ut subditus sponte sua et motu proprio eam petierit (c. 518, § 2, 3). Et gravis causa requiritur, ut Superior, per modum habitus, subditum audire pergat (c. 518, § 2). Gravis causa erit confusus vel anxius status conscientiae subditi, cui difficile sit apud alium aperire conscientiam ; vel ipsa confessariorum penuria. Nefas ergo est Superiori se tamquam confessarium domus offerre.

Novicii confessio illicite a magistro noviciorum vel a socio excipitur, nisi novicius, « ex gravi et urgente causa in casibus particularibus sponte » id petierit. Textus iste confessionem *habitualem* novicii apud magistrum vel socium omnino excludere videtur. Non constat tamen strictam istam interpretationem casus particularis a legislatore intentam fuisse.

Quocirca, nisi severior declaratio authentice detur, damnari

nequit magister vel socius, qui habitualiter audiat confessionem novicii, si causa urgens et gravis postulet ut habitualiter audiatur.

Prohibitio ista cohaeret cum munere quod magistro a Codice assignatur. Est pro noviciis quasi Superior (c. 561, § 32), de singulis relationem exhibet capitulo vel Superiori maiori (c. 563). In religione ergo ubi Magister legitime non fuerit nisi Pater spiritualis, ita ut nullam potestatem fori exterioris seu disciplinae exterioris exerceat, non nimis familiariter cum noviciis conversetur nec sententiam dicat de noviciis ad vota admittendis vel non, nihil iam impedit quin ipse magister sit ordinarius confessarius noviciorum. Quod responso particulari ipsius Commissionis novimus confirmatum. Inde quoque patet prohibitionem magistro datam minime extendendam esse ad praefectum vel magistrum spiritus qui, ex c. 588, § 2, dandus est religiosis qui studiis vacant post vota sua.

B. **De Monialibus et Sororibus**

I. *Regimen commune.* — 1. Salvis Em. Cardinalibus, quilibet sacerdotes, sive saeculares, sive religiosi alterius Instituti, sive religiosi eiusdem religionis, indigent, non tantum ad licite, sed etiam ad valide recipiendas confessiones religiosarum et noviciarum, peculiari iurisdictione, quam confert loci Ordinarius, ubi religiosarum domus sita est. (c. 876) — Verba « cuiusvis gradus et officii » quibus dictus canon utitur, ipsos Superiores regulares exemptos primi Ordinis huic legi obnoxios faciunt.

2. *Unus* dumtaxat ordinarius confessarius est singulis domibus assignandus, « qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus. » (c. 520) Alia iusta causa esse poterit v. g. pluralitas linguarum nationalium, si confessarius aliquam ignoret ; vel etiam necessitas diutius confirmandi eundem sacerdotem in munere confessarii ordinarii. Ac nihil prohibet, immo potius optandum videtur ut Ordinarius loci, pluribus istis confessariis cumulativam in omnes religiosas iurisdictionem tribuat. Ceterum iusta causa non debet severe aestimari. Iam sub antiqua disciplina toleratum est ut bini confessarii haberentur. Cf. Bizzarri, in Turritana, febr. 1753 (ed. 1, p. 415. 416).

3. Dandus est confessarius *extraordinarius*, « qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae » (c. 521, § 1).

Minus ergo legi consentaneum est, ut varii sacerdotes sua quisque vice in anno tamquam extraordinarii accedant, sed, quantum adiuncta id sinant, oportet ut sat stabilis sit, ita ut Sorores ab eo quoque vere dirigi possint in spiritu. — Nec iam menti legis congruit, ut sacerdos qui excercitia spiritualia tradit extraordinarium suppleat : is tunc saltem quater accedere omittit. — Ad Ordinarium autem loci spectat definire quotiens extraordinarius confessarius domum adire debeat ; nec proprio marte possit ipse pluries se omnibus offerre.

En regimen ad quod per se, ex mente Ecclesiae, sorores et moniales sanae, se accommodare debent.

II. *Cautiones de libertate conscientiae.*

Legi magis rigorosae plura temperamenta opportune addita sunt.

A. De Sororibus et monialibus *sanis*.

1. Si qua religiosa petat *specialem* confessarium, i. e. confessarium qui ipsi sit quasi ordinarius, loci Ordinarius eum facile concedere debet : vigilando ne abusus irrepant, « salva conscientiae libertate » (c. 520, § 2), ac proin alio modo ac suppressione prudenter datae facultatis.

2. Designandi sunt, pro singulis domibus, aliquot sacerdotes muniti facultatibus, ad quos proin religiosae, in casibus particularibus, facile recurrere possint, sine necessitate novae licentiae Ordinarii. (c. 521, § 2).

Pro singulis domibus designandi sunt, ita ut singulis praesto sint, non quod alii confessarii alii domui designandi sint. Sic, in archidioecesi Mechliniensi, optime statutum est ut quicumque est confessarius ordinarius vel extraordinarius alicuius domus, in casibus particularibus in omnem aliam domum decanatus in qua residet vocari possit.

3. Quotiescumque religiosa expetat vel confessarium extraordinarium de quo supra, vel unum ex istis confessariis supplementariis, « nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre ». (c. 521, § 3).

Diximus : vel extraordinarium vel supplementarem. Id clare ex § 3, c. 521 colligitur. In hoc canone, § 1 confessarium extraordinarium esse iubet ; § vero 2, confessarios supplementarios. Dein in § 3, vult Codex ut *ii* confessarii libere vocari possint. Ii confessarii designant manifesto tum extraordinarium tum supplementares confessarios. Id demonstrat usus pronominis *ii*, non vero *hi* ; et ipsa distincta paragraphus. Si de solis supplementariis ageretur, in eadem § 2 liber recursus ad ipsos sancitus fuisset.

Quare, qui habituàlis confessarius alicuius monasterii renuntiatus est, ipso facto, expeditam facultatem habet audiendi in casibus particularibus sorores a quibus vocatur. Nec Ordinarius id prohibere potest. Verum agitur de casu particulari. Sine licentia Ordinarii non potest acceptare ut sit confessarius specialis alicuius religiosae.

Hactenus egimus de confessariis qui, petente religiosa, arcessi possunt et debent. Nunc de confessario qui ipse quidem conventum ad audiendas confessiones adire prohibetur, sed quem Sorores adire possunt.

4. Referamus itaque verba c. 522, qui novus est et proin minus apertae significationis. « Si... aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio ; nec Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem ; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur. » (c. 522).

Canon iste validae et licitae confessionis condiciones simul refert. Id ergo resciendum est quaenam condiciones ad validam confessionem, quaenam ad licitam implendae sint.

a) Condiciones *validae* confessionis. Oportet ut confessarius sit *approbatus pro mulieribus* : de illo solo agitur in canone.

Oportet ut *Soror adeat* confessarium. Simpliciter approbatus non est ex iis qui, vocati, religiosas adire possunt. Canon ergo supponit occasionem datam adeundi : sive quia religiosa ex iis est quae ad varia officia e domo exire solent et tunc in ecclesia sacerdotem reperire possunt ; sive quia ipse sacerdos propter aliam causam, v. g. ad sacrum dicendum, in domo praesens adest.

b) Condiciones *licitae* confessionis. Oportet ut confessio fiat ad tranquillitatem conscientiae. Condicio ista distinguitur a condicione sufficiente ad petendum confessarium specialem (c. 520, § 2). Ibi valebat quoque ratio maioris profectus spiritualis. Oportet ergo ut aliqua anxietas, aliquis remorsus ob culpam etiam venialem, aliqua difficultas communicandi sine confessione, ob dubium, ob diutius iam omissam confessionem, tollenda sit. Sed non arbitramur condicionem istam ad valorem postulari : tum quia ad res maxime intimas pertinet, quae, cum plane lateant, minus rigorose ut condiciones a legislatore humano postulantur ; tum quia causa foret anxietatum, et per se fere semper in confessione sincera aliunde verificetur.

Quid de *loci* condicione ? Ad liceitatem omnino requiritur ut confessio fiat in ecclesia vel oratorio semi-publico, i. e.

in oratorio « quod in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit » (c. 1188 §, 2). Tale est oratorium ubi Sorores, ubi noviciae, ubi sodales congregationis, ubi convictrices exercitia spiritualia obire solent. Nec iam, contra atque in aliqua versione Codicis legebatur, postulatur ut religiosa extra domum versetur. Sub iure autem superiore, responsum 3 iul. 1916, datum a S. C. *de religiosis* (*Linz. QSch.*, 1916, p. 847, ss.), declaraverat confessionem in oratorio permissam fieri posse quolibet loco legitime ad confitendum electo. Quocirca, si monialis cum facultate Ordinarii arcesserit simplicem confessarium ad consuetum pro monialibus confessionale, quod interdum est extra sacellum ; ac dein altera monialis sponte sua accesserit, haec sane tuta conscientia a dicto sacerdote audiri poterit. Immo non desunt qui putant hac loci condicione mere inculcari observationem capitis 4, t. 4, l. 3 *de loco ad confessiones excipiendas*, ita ut tunc tantum confessio invalida sit quando gravis culpa in eligendo loco admissa sit, ac proin confessio facta sit sacrilega. Ac sane, ante Codicem, cum tantum extra conventum permittebatur ut confessarius in ecclesia vel oratorio adiretur a sororibus, circumstantia loci non censebatur ad valorem requisita. Donec ergo severior non prodierit declaratio authentica, sententia ista, quam, v. g. tuetur Brandys, *Kirchl. Rechtsbuch f. die religiöse Laiengenossenschaften*, etc. n. 151, in natura istius obligationis fundata, et confirmata responso, in re simili, S. Congregationis, est solide probabilis. Poterit tamen fieri ut, ad abusus amputandos, severior interpretatio authentice proponatur.

B. De Sororibus et monialibus *aegrotantibus*.

1. Religiosa quaelibet quae *graviter* aegrotat, durante gravi infirmitate, quemlibet approbatum pro mulieribus confessarium arcessere potest, quotiens voluerit ; nec Antistita eam directe vel indirecte prohibere potest. (c. 523)

Gravis morbus est quilibet morbus qui pluribus exitiosus est vel periculum mortis inducere potest. Est etiam ille, ut nobis videtur, qui aegrotum valde deprimit ita ut formidinem periculi mortis ipsi generet. Tunc enim ratio legis omnino adesse videtur.

2. In *periculo* mortis, quilibet sacerdos, ex c. 882, fit idoneus ad validam conferendam absolutionem ; et licita est administratio sacramenti, nisi agatur de absolvendo complice sine necessitate (c. 884).

III. *Cautiones de utriusque fori separatione.*

1. C. 524, § 3, id edicitur : « Confessarii religiosarum tum ordinarii tum extraordinarii interno vel externo communitatis

regimini nullo modo se immisceant ». Quo canone confirmantur praescripta quibus vetatur ne Superior (v. g. Praelatus primi Ordinis qui facultate munitus sit) se ultro offerat ut confessarium subditorum suorum.

2. Huiusmodi invasio provinciae alienae et nimia confessarii auctoritas impeditur quoque frequenti mutatione confessarii, cum confessarius ordinarius munus suum per se non ultra triennium exercere possit. Observes tamen iurisdictionem ipsi non auferri, quamdiu Ordinarius loci datum mandatum non revocaverit.

VIII. De ordinatione religiosorum qui « iure saecularium » reguntur

Ambo canones 964, 4 et 982, 2. 3. non paucis difficiles videntur, ita ut operae pretium sit eorum vim accurate, pro viribus, perpendere et exponere.

Priore canone, « ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis regitur iure saecularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines maiores. » — Altero vero, § 2, sic de titulo dicitur : « Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus *mensae communis, Congregationis*, aliusve similis, ad normam Constitutionum. » — § vero 3 sic sonat : « Ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, iure saecularium reguntur ». Is ordo ineundus videtur, ut primo, paucis recolamus regimen ordinationum pro saecularibus ; ut deinde proprium ius religiosorum exemptorum, quatenus a priore differt, exponamus, ac tandem regimen ceterorum religiosorum cum prioribus comparemus.

I. *Ordinatio saecularium.*

1. Saeculares ordinantur ab episcopo proprio vel per litteras dimissorias ab isto Ordinario profectas. (c. 955, § 1)

2. Episcopus proprius est tantum episcopus dioecesis in qua promovendus habeat domicilium una cum origine aut simplex domicilium sine origine ; sed in hoc altero casu debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmare, nisi, etc. (c. 956).

3. Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines in paroeciali cuiusque candidati ecclesia publice denuntianda sunt. (c. 998)

4. Promovendi afferre debent ex c. 993 : Testimonium ultimae ordinationis, aut, si de prima tonsura agatur, recepti baptismatis et confirmationis ; — Testimonium de peractis

studiis, pro singulis ordinibus, ad normam c. 976 requisitis; — Testimonium rectoris seminarii, aut sacerdotis cui candidatus extra seminarium commendatus fuerit, de bonis eiusdem candidati moribus ; — Testimoniales litteras Ordinarii loci in quo promovendus tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit (i. e. regulariter pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem).

5. Promovendi ad ordines maiores titulum canonicum habere debent ; titulus iste est beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis ; suppleri tamen potest titulo servitii dioecesis (cc. 979. 981).

II. *Ordinatio religiosorum exemptorum.*

1. Possunt ordinari a proprio Superiore si is necessariam ordinis potestatem habeat. Proprium autem Superiorem intellegas eum qui litteras dimissorias dare debet (c. 979 et 964, 1). — A nullo episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris (c. 964, 2).

2. Episcopus ad quem per se litterae dimissoriae mitti debent est episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa ad cuius familiam pertinet ordinandus (c. 965).

3. Banna non sunt praescripta (c. 998).

4. Acceptis litteris dimissoriis (in quibus Superior de studiis et de omnibus iure requisitis testari debet) episcopus aliis testimonialibus litteris non indiget (c. 995).

5. Titulus ordinationis est, pro sollemniter professis, titulus paupertatis religiosae pro aliis professis perpetuis, titulus mensae communis, Congregationis vel alius similis, ad normam constitutionum (c. 982).

Professis votorum temporariorum, Superiores non possunt dare litteras dimissorias nisi ad tonsuram et ordines minores (c. 964, 3).

III. *Ordinatio ceterorum religiosorum.*

A. Plerique habent indultum, cui in c. 964 alluditur, ad dandas litteras dimissorias. Tunc, vel ordinari possunt sicut religiosi exempti, et in sacris quidem titulo mensae communis, aut similis, quem habeant, idque a proprio Superiore, si ordinis potestatem possideat, vel per eius litteras dimissorias. Id unum quaeri potest, utrum titulus mensae communis nunc ipso Codice pro omnibus religiosis professis votorum simplicium concessus sit, an renovandum sit indultum quo concedi consueverat. Codex, c. 982, § 2, titulum in Constitutionibus approbatis contentum supponit : quod sane sufficit ; ipse autem silentium Constitutionum non supplet : quare, ut antea, indultum renovandum esse arbitramur. — Praeterea,

c. 964, 4 revocat quodlibet indultum dandi litteras dimissorias ad ordines maiores, professis a votis temporariis. — Verum, contra ac dicebatur de exemptis, possunt religiosi non exempti ordinari ab episcopo proprio vel per eius litteras dimissorias. Quo casu, episcopus proprius est episcopus loci ubi est conventus : ibi enim religiosus domicilium habet. Nec iuramentum servitii dioecesis emittere debent (c. 956). Banna etiam ipsis dispensantur (c. 998). — Titulus poterit esse mensae communis vel similis, si religio talem habeat et de professo votorum perpetuorum agatur ; secus titulus saecularis procurandus erit, vel dispensatio a S. Sede impetranda erit. Omnia testimonia afferre debent quae saeculares, et praeterea Testimoniales Superioris maioris religiosi. — Ut patet, si in nullo seminario fuerint, testimonium rectoris afferre non debebunt.

B. Si tali indulto careant, ordinabuntur iure saecularium, exceptis bannis, qualitate episcopi proprii quae loco conventus definitur : et titulo, si sint professi, votorum perpetuorum et titulus a religione possideatur Cf. cc. 998. 956. 982. 993. Observes itaque, professionem perpetuam non requiri ad ordines sacros, si more saecularium ordinantur. Novicii tamen ordinari vetantur (c. 567, § 2).

IMPRIMI POTEST

Aug. Coemans, S. I., *Praep. prov. belg.*

NIHIL OBSTAT

Brugis, 13 martii 1920.

Em. De Jaegher, *Can. lib. cens.*

IMPRIMATUR

Brugis, 13 martii 1920.

H. Van den Berghe, *Vic. gen.*

DISSERTATIONES ET QUAESITA

DE MUNERE ET OFFICIIS VICARII ET PRAEFECTI APOSTOLICI SECUNDUM PRAESENS IUS

Iam antea, Per. VII, p. (9)-(23) et (37)-(48), utrumque munus vicarii Apostolici et praefecti Apostolici in locis missionum distincte explicare conati sumus. Sed deficiebat tunc praecisa iuris communis sanctio. Itaque generalia principia quae describendo muneri vicarii Apostolici utilia videbantur, ex natura officii, ex collato charactere episcopali, ex paucis Constitutionibus Pontificiis, et ex pluribus Sanctae Sedis responsis seu declarationibus, satis laboriose eruere necesse fuit. Nec tunc aliam, cum probatissimis canonistis, iurisdictionem, praeter *delegatam,* vicario Apostolico tribuere licuit. Magis etiam impedita erat quaestio de persona praefecti Apostolici, cuius tunc provincia, in pluribus punctis, satis diversa a provincia vicarii Apostolici demonstrabatur, et separatim exponi debuit.

Nunc vero, beneficio Codicis canonici, utriusque munus authentice et perspicue nobis proponitur ; et quidem hac ratione, ut praefectus Apostolicus vicario Apostolico fere in omnibus assimuletur, ac potius ordinis quam iurisdictionis potestate alter ab altero distinguatur. Quare nostra tractatio simul planior, plenior et certior erit ; nec iam separatim sed coniuncte de vicario Apostolico et de praefecto Apostolico agendum videtur.

Articulus Primus. **Munus Vicarii et Praefecti Apostolici**

1. De eo solo vicario Apostolico agimus qui, Per. VII, (14), a nobis descriptus est : *Praelatus ecclesiasticus, episcopali ordine per se honoratus, qui, in regione ubi hierarchia ecclesiastica numquam exstitit vel nondum restituta est, ad munia apostolica exercenda vices S. Pontificis agit.*

Vicarium Apostolicum *per se* dicimus episcopali charactere insignitum, quia nulla iuris dispositio hanc qualitatem exigit; plerumque tamen vicarius Apostolicus est simul episcopus

titularis cuiuspiam ecclesiae. Interdum, in ipsa vicariatus erectione, cavetur ut vicarius episcopus esse debeat. Sic, in Brevi 22 dec. 1916 (A. A. S. 1917, 9, 99) quo vicariatus Apostolicus Alaskensis erigitur, vicarius episcopus esse iubetur; dum nihil tale praescribitur in Brevi 13 iun. 1917 (A. A. S.), quo vicariatus Apostolicus de Kassai superiore constituitur.

Definitioni mox traditae Codex minime contradicit; munus tamen vicarii Apostolici magis simile fecit muneri episcopi dioecesani. Etenim, ante Codicem (Cfr. p. (12) Per. VII), vicariatus magis expresse proprium S. Pontificis territorium esse dicebatur, ita ut vicarius Apostolicus in territorio non suo munus apostolicum exerceret; nunc, contra, in Codicis capite VIII, vicarius Apostolicus nusquam *expresse* dicitur vices S. Pontificis agere, ita ut indirecte tantum id colligatur ex canone 1350, in quo Sedes Apostolica sibi unice reservat curam missionum apud acatholicos in territoriis quae non sunt dioeceses [1].

Ac tum in canone 293, tum in canone 294, vicarius et praefectus Apostolicus territorium tamquam *suum* possidere videntur.

2. Manet quoque notio qua, excepta ordinis potestate, praefectum Apostolicum cum vicario Apostolico comparavimus, Per. VII (40). Sed quod dubitanter et quibusdam casibus exceptis proponebamus, iam certo et magis universaliter affirmare possumus et debemus.

3. Principii enuntiati haec sunt consectaria:

a) Quamvis in territorio a se administrato nullam habeant sibi desponsatam ecclesiam, vicarius Apostolicus et praefectus Apostolicus iam *iustitiae* titulo, saltem sicut parochi, munere suo naviter exercendo tenentur.

Istud iustitiae debitum eos certo obligat erga baptizatos suae regionis; verum non baptizati iuris ecclesiastici proprie dicti incapaces videntur. Erga hos, itaque, potius religionis et caritatis titulo tenentur.

Communem autem obligationem iustitiae, quam R. P. Prümmer [2] omnibus missionariis ascribit, exercendi curam animarum, non putamus demonstrari posse. Appellat quidem Const. *Speculatores*, Clementis IX, 13 sept. 1669. Verum ibi S. Pontifex mere negat a regularibus detrectari posse munera, v. g. parochorum, quae iustitiae obligationes inducunt; acceptatio autem talis muneris non est iustitiae debitum. Appellat dein quasi-contractum cum S. Congr. Prop. Fidei, quae religiosos non deputat « nisi

---

[1] « § 1. Ordinarii locorum et parochi acatholicos in suis dioecesibus et paroeciis degentes commendatos sibi in Domino habeant. — § 2. In aliis territoriis, universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur. » — Licet verba *Ordinarii locorum* per se conveniant quoque in vicarios et praefectos Apostolicos, putamus tamen hic solos designari Ordinarios locorum ubi exstat hierarchia ecclesiastica. Verba enim ista referuntur ad dioeceses et paroecias, in ipsa § 1 canonis 1350.

[2] *Manuale iuris ecclesiastici*, n. 111.

se obligant ibi curam animarum exsecuturos esse ». Sed istius contractus desideratur demonstratio. Etiam si obligatio suscepta sit, potest esse obligatio religionis, fidelitatis : quid probat esse obligationem iustitiae ? Praeterea, praeter Superiores, alii missionarii religiosi nullatenus cum Congregatione agunt. Quare id solum admitti posse nobis videtur, de missionariis valere quod de omni homine qui ex caritate quidpiam erga alterum faciendum assumit : quam diu mandatum servat, ex iustitia obligatur ad vitanda damna quae ex neglegentia oriantur.

b) Dum antea, 17 aug. 1866 [1], S. C. Prop. Fid. responderat ne vicarios quidem Apostolicos pro populo litari ex iustitia debere, quamvis deceret ut ex caritate facerent, nunc ipsi et praefecti Apostolici, canone 306 astringuntur ad missam certis diebus pro populo applicandam. Quo titulo, id canone non definitur. Cfr. infra.

4. Natura potestatis vicarii Apostolici et praefecti Apostolici ex can. 197 definienda videtur *ordinaria vicaria*. Est *ordinaria*, namque, ex c. 198, vicarii et praefecti Apostolici in Ordinariis locorum computantur ; atque eorum potestas ipso iure annexa est officio (c. 197) ; est *vicaria*, namque, ex ipso suo nomine, pro S. Pontifice vel S. Sede officio fungi demonstrantur. Confirmatur c^e 368, qui prorsus simili modo ac c. 294 iurisdictionem vicarii Generalis describit. Haec autem est certissime vicaria ordinaria.

Mutandum itaque hodie est quod, post Wernz, II, 545, scripsimus Per. VII, p. (16). (17), de natura delegata istius potestatis.

Articulus II. **Vicarii et Praefecti Apostolici potestas**

1. Formaliter iam c^e 294 exprimitur principium, quod, antea admissum, nullo tamen iuris textu firmabatur. « Vicarii et praefecti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competant episcopis residentialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit. »

2. Verum, dum episcopus residentialis ipse cooptat suum clerum, et alienos clericos ad arbitrium repellere potest, vicarius et praefectus Apostolicus opus habent adiutoribus regionis iam christianae, maxime Europae, quos S. C. Prop. Fid. immediate vel mediate ipsis destinat : immediate, cum iisdem singulares personas, ipsius litteris munitas, mittit ; mediate, cum religioni cuidam mandat ut missionarios provideat.

Hos itaque vicarius et praefectus Apostolicus per se recipere debent ; nec licentiam exercendi sacrum ministerium,

---

[1] *Ius Prop. Fid.* parte 2, t. 1, p. 672.

nisi singulis et propter gravem causam iisdem denegare possunt (c. 295, § 2). Verum exigere possunt et debent, ut missionarii ipsis litteras suae deputationis ostendant. Hoc potissimum valebit et usu veniet quod ad missionarios missos a S. C. Prop. Fid. Religiosi enim, praesertim eiusdem Instituti, plerumque a vicario vel praefecto Apostolico exspectati et noti, nullas proprias litteras ostendendas habebunt, vel collective a Superiore religioso praesentabuntur, et facultates speciales ex privilegiis suae religionis haurient.

Si autem clerum indigenam habeant, hunc cooptant et regunt sicut episcopus residentialis suos sacerdotes saeculares.

3. Sicut, in his quae ad curam animarum spectant, parochus regularis oboedire debet episcopo, cuius, in hac re est praevalens ius [1], ita canone 296, § 1, edicitur : « Etiam missionarii regulares subiciuntur vicarii et praefecti Apostolici iurisdictioni, visitationi et correctioni in iis quae pertinent ad missionum regimen, curam animarum, sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem eiusdem missionis. »

De quo canone haec observanda sunt : a) Nominando *regulares*, Codex suam normam expresse religiosis exemptis applicat. — b) In puncta disciplinae religiosae, solus Superior religiosus per se inquirere potest ; solus, si casus ferat, subditum punire vel corrigere. (Cfr. c. 296, § 2 et c. 630, § 2). — c) Quod ad ipsam muneris impletionem, Superior religiosus ius cumulativum habet cum vicario vel praefecto Apostolico, ita ut si aliter a Superiore, aliter a vicario vel praefecto decerni contingat, horum decretum exsequendum sit. — d) Nihilo minus, cum agitur de remotione ab officio, religiosus removeri potest ad nutum vel vicarii seu praefecti, monito Superiore, vel Superioris religiosi, monito vicario seu praefecto. Cfr. decr. 18 ian. 1886 [2] et c. 454, § 5. d) Ius correctionis per se continet ius punitionis, etiam per censuras. Cfr. c. 2220 ; 603, § 2. Sed attendendae sunt immunitates speciales a poenis quas, ex Ordinis privilegiis, regulares participare possunt. e) Oblationes factae *intuitu missionis* sunt oblationes factae intuitu vicariatus seu praefecturae, vel intuitu operis quod iurisdictioni seu potestati administrativae vicarii seu praefecti Apostolici est obnoxium ; non autem oblationes factae indistincte pro operibus quae Institutum religiosum in missionibus exercet. Prudenti discretione hic opus est. f) S. Sedi reservatur recursus in devolutivo, et facultas statuendi vel probandi peculiaria. Peculiaris est dispositio modo allegata de remotione ab officio ; peculiaris est specialis exemptio a censuris, etc.

4. Propter peculiarem missionum exterarum condicionem, amplior quam quae Ordinariis locorum generatim, canone

---

[1] Cf. nostrum *De Religiosis institutis et personis*, I, 500, vel C. *Firmandis*, 6 nov. 1744, *De Religiosis etc.* II, n. 245. — [2] Coll. Pr. Fid. n. 1651.

1334, conceditur, facultas vicariis et praefectis Apostolicis canone 297 tribuitur, cogendi religiosos etiam exemptos ut curam animarum suscipiant.

Condiciones observes : a) Clerus saecularis deficiens esse debet ; b) Soli religiosi addicti iam vicariatui seu praefecturae, sic cogi possunt ; non ii ergo qui in collegio exempto operam navent ; c) Salva sint oportet peculiaria statuta a Sede Apostolica probata. Sic fieri potest ut constituatur in missione abbatia monachorum ea lege, ut claustris exire nullo praetextu vel causa debeant.

5. Canone 298 prospicitur peculiari difficultati quae, ex humana fragilitate, etiam in locis missionum nasci potest, scilicet, discidiis quae ipsam curam animarum afficiunt, v. g. de competentia. Haec oriri possunt sive inter singulos missionarios, sive inter diversas religiones, sive inter missionarios et alios quoslibet. Vicarii et praefecti Apostolici haec ut quam primum componantur curare debent : plurimum enim bono animarum nocere solent. Ubi opus fuerit, iidem controversias huiusmodi dirimere possunt, integro iure recursus ad S. Sedem in devolutivo. Ceterum, ex iure communi, c. 1579, Ordinarius loci est iudex primae instantiae in controversiis quae nascantur « inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis, aut etiam inter religiosos eiusdem religionis non exemptae vel laicalis ; aut inter religiosum et clericum saecularem vel laicum ».

6. Ex principio supra relato, canonis 294, haec vicario Apostolico et praefecto Apostolico definite, praeter alia ascribuntur : a) In foro interno approbant, pro confessionibus audiendis, sacerdotes tam saeculares quam regulares, idque post examen vel sine examine, additis vel omissis consuetis restrictionibus ; in eodem foro sibi reservare casus possunt ; et casus iure communi reservati Ordinariis locorum, in vicariatu et praefectura Apostolica sunt reservati vicario et praefecto. — b) Subditis sacramenta conferre possunt, non excepto ordine sacro, dummodo potestatem ordinis habeant, et, quatenus oportet, titulo ordinationis eos munitos norint vel munire possint. — c) Preces publicas et ieiunia et festa accidentaliter imperare possunt, et reliqua peragere quae ad cultum divinum augendum et conservandum inter fideles sibi commissos conferunt. Sic ad ipsos spectant quaecumque competunt episcopis residentialibus circa imagines sacras, reliquias sacras (v. g. recognoscendas), processus de novis miraculis, de martyribus, de causis beatificationis. — d) Statuta pro vicariatu vel praefectura Apostolica condere et abrogare possunt ; idque extra vel intra synodum, quam proin convocare possunt. — e) Personas sibi subditas praeceptis et censuris ligare et coercere possunt. Quae episcopus potest clericis praescribere vel vetare, eadem possunt vica-

rius et praefectus Apostolicus. — f) In foro externo causas ecclesiasticas S. Sedi non reservatas in prima instantia iudicare, vel aliis clericis eadem iudicia delegare possunt : quod valet de causis matrimonialibus. Quare, quamvis canones 1573 ss. solis episcopis expresse imponant designationem officialium iudicialium, ex ipsa rei natura tamen, debent vicarius et praefectus Apostolicus, prout copiam habent, curare ut, si causa inciderit, haec rite ab ipsis iudicari possit. — g) In delicta fori ecclesiastici, inquisitione, iustis poenis, salva debita personarum exemptione, animadvertere possunt. — h) Bonorum ecclesiasticorum quae ad exemptos seu religiosos non pertinent, sunt curatores et administratores. Sunt quoque exsecutores nati legatorum piorum.

7. Praeter potestatem *ordinariam*, vicarius Apostolicus et praefectus Apostolicus obtinent per S. C. Prop. Fid. amplas facultates *delegatas,* quarum plerasque subdelegare possunt, sicut in ipsis facultatum foliis indicatur.

Verum, quod bene attendendum est, suis subdelegatis novam subdelegandi istas facultates potestatem concedere nequeunt. Canon enim 199, qui permittit ut delegata a S. Sede potestas iurisdictionis, per se, etiam habitualiter subdelegari possit, § 5 iteratam subdelegationem negat, « nisi id expresse concessum fuerit ». Iam vero, huiusmodi concessio nec in Codicis canonibus nec in facultatum formulis continetur. Quocirca, integrum quidem est vicario vel praefecto Apostolico facultates suas cum omnibus missionariis *directe*, sive simpliciter sive in his atque illis adiunctis communicare, sed non possunt facultates suas tribuere v. g. Superioribus stationum, cum potestate easdem in casibus particularibus iterum subdelegandi. Aliud statuendum est de vicario delegato, ut mox dicetur.

8. **Quaeritur** utrum vicarius et praefectus Apostolicus sibi *vicarium generalem* constituere possint.

Id ab ipsis fieri posse plures existimarunt, nixi generali principio canonis 294 ; idque eo magis concludebant quod, iam ante Codicem, vicariis Apostolicis concedebatur ut sibi eligerent vicarium generalem qui, post eorum obitum, evaderet provicarius cum omnibus vicarii Apostolici facultatibus, et qui, vicario Apostolico vivente et non impedito, participaret munus vicarii Apostolici et facultates vicario Apostolico delegatas, cum potestate easdem subdelegandi. Cfr. litteras *Ex sublimi*, 26 ian. 1753, et *Quam sublimi*, 8 aug. 1755, Benedicti XIV [1] ; resp. S. C. Prop. Fid. 9 dec. 1822 [2] ; resp. S. Off. 14 dec. 1898 et 23 mart 1899 [3].

---

[1] *Coll. Pr. Fid.* n. 387 et 396. — [2] *Coll. Pr. Fid.* n. 777. — [3] *Coll. Pr. Fid.* n. 2029, et nota.

Nihilo minus S. C. Pr. Fid., litteris circularibus 8 dec. 1919, negavit ipsis competere facultatem sibi eligendi vicarium generalem proprie talem. Quod collegisse videtur ex canone 198, qui, in sua Ordinariorum numeratione, episcopo quidem residentiali, abbati aut praelati *nullius*, vicarium generalem esse supponit, prorsus autem tacet de vicario generali quem haberet vicarius vel praefectus Apostolicus. Quare opus esse ut in singulis casibus vicarius vel praefectus determinet munera quae suis delegatis committat.

Simul tamen, in audientia Em. Praefecti S. C. Pr. Fid., Benedictus XV, 6 nov. 1919, sanavit nullitatem actuum iurisdictionis effectorum a missionariis qui forsan se ut veros vicarios generales gesserint ; atque Ordinariis missionum concessit potestatem nominandi unum vel etiam plures, si diversitas rituum vel amplitudo territorii istud exigat (c. 366), plures *vicarios delegatos* qui omnem competentiam habeant quam cc^es 66 et 368 vicario generali tribuunt. (Cfr. A. A. S. 12, 1920, p. 120).

Itaque dictus vicarius delegatus : a) Ipsa nominatione sua, vi officii, habet omnem in spiritualibus et temporalibus iurisdictionem quae ad vicarium vel praefectum Apostolicum iure ordinario pertinet, exceptis iis quae vicarius vel praefectus Apostolicus sibi reservarint vel quae speciale mandatum ex iure postulant. — b) Nisi aliud expresse cautum sit, rescripta Apostolica vicario vel praefecto Apostolico remissa, exsequi potest ; atque ad ipsum quoque pertinent facultates habituales a S. Sede delegatae. Has ergo ipse rursus subdelegare permittitur. c) Nec ambigi potest quin extra vicariatum vel praefecturam, subditos vicariatus vel praefecturae sacramentaliter absolvere possit.

Quia tamen non est vicarius generalis proprie dictus, non efficit unam personam vel unum tribunal cum Vicario vel praefecto Apostolico ; nec, cessante vel suspensa iurisdictione vicarii vel praefecti Apostolici, eius iurisdictio cessat vel suspenditur. Immo, contra, nisi vicarius vel praefectus Apostolicus aliter statuerit, fit reipsa, post vicarii vel praefecti Apostolici obitum, tamquam *provicarius*, vel *propraefectus*, *successor* vicarii vel praefecti Apostolici, donec S. Sedes aliter providerit. (Arg. ex litt. *Ex sublimi*, *Quam sublimi*, resp. Pr. F. 9 dec. 1822 modo allegatis).

N. B. Etiam causae ad S. Officium spectantes ad vicarium vel praefectum Apostolicum deferendae sunt. Cfr. resp. S. Officii 15-17 maii 1901 (*De Religiosis*, etc. II, n. 194).

Libros prohibent sicut episcopus. Eosdem quoque *approbant*, salvo iure S. C. Pr. Fid. quaedam sibi reservandi. Reservatio autem quae Constitutione *Officiorum et munerum* continebatur, Codice canonico non est confirmata. (Cf. Per. VII, p. (21)).

In eorum manibus *modernismus* abiuratur a missionariis, et etiam a Superiore religioso missionis, si moderator generalis Instituti eos ad hoc designavit. Cfr. Per. VII, p. (7).

Articulus III. **Vicarii et Praefecti Apostolici iura et privilegia**

1. Vicarius Apostolicus et ipse praefectus Apostolicus cathedraticum seu moderatam taxam sibi solvendam constituere possunt in signum subiectionis, praevia tamen approbatione S. C. Prop. Fid. Cfr. resp. 18 ian. 1886 et cc. 1504. 1507.

2. Perinde dicendum est de variis taxis pro actibus iurisdictionis voluntariae vel pro exsecutione rescriptorum S. Sedis, vel occasione administrationis sacramentorum vel sacramentalium. Ubi desit antiqua consuetudo, hae praefiniendae sunt a Concilio provinciali, si quod haberi possit, vel a Concilio regionali, et approbandae a S. C. Pr. Fid. Cfr. cc. 1507 et 304.

3. Etiamsi careant charactere episcopali, facultate pollent administrandi *confirmationem*, sed tantum durante munere et intra fines territorii (C. 782, § 3).

4. *Clericos proprios* habere possunt ex domicilio cum origine, vel ex domicilio sine origine [1] sed cum iuramento de animo perpetuo manendi, vel ex incardinatione rite peracta.

Si charactere episcopali praediti fuerint, episcopo dioecesano aequiperantur quod ad ordinationes habendas. Quare proprios subditos ordinant ipsi ; alienos vero subditos cum litteris dimissoriis sive episcopi proprii sive Superioris religiosi cui hoc ius competat.

Sive consecrati sint episcopi sive non, possunt semper litteras dimissorias suis subditis dare ut ab alio episcopo ordinentur.

Carentes charactere episcopali, possunt, durante munere et in proprio territorio, primam *tonsuram* et *minores ordines* conferre tum propriis subditis tum legitime ad ipsos dimissis: aliter factae ordinationes nullae forent. (C. 957, § 1).

5. Sive characterem episcopalem habeant sive non, possunt uno ex sollemnioribus per annum diebus, benedictionem papalem cum indulgentia plenaria in suo vicariatu vel praefectura impertiri.

Sollemnior dies est festum quod vel *per se*, ex calendario ecclesiae, ut Pascha, Pentecostes, Assumptio, Natalis Domini, vel ex circumstantiis loci speciali pompa celebratur : festum SS. Cordis, festum patrium, sicut, in Statibus Unitis Americae, dies dicta *Thanksgiving day*.

---

[1] Origo definitur domicilio vel quasi domicilio patris, vel si sit filius illegitimus aut postumus, matris (c. 90).

6. In suis ecclesiis paroecialibus vel quasi-paroecialibus, vel oratorio quod paroeciali ecclesiae est unitum vel subsidiarium, designare et declarare possunt unum *altare privilegiatum,* cotidianum, perpetuum (C. 916),

Etiam ubi nulla divisio in paroecias vel quasi-paroecias hactenus facta est, ecclesia loci principalis, iuxta quam vicarius vel praefectus Apostolicus residet, ad hunc effectum pro paroeciali vel quasi cathedrali haberi posse videtur.

7. Etiam si charactere episcopali carent, possunt, intra sui territorii fines, et perdurante munere, omnes benedictiones episcopis reservatas, una pontificali (per triplex crucis signum) excepta, impertiri ; calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab episcopo benedictis consecrare (C. 294). Ecclesiae tamen consecratio, non item sollemnis benedictio vel reconciliatio ei reservatur qui charactere episcopali auctus est ; sed, si eo carent, cuilibet episcopo sui ritus licentiam dant consecrationem peragendi. Cfr. c. 1155.

8. Possunt quoque iidem *indulgentias* 50 dierum concedere (C. 294). Observes, ex c. 913, facultatem istam ab ipsis delegari non posse ; nec indulgentias esse defunctis applicabiles. Ex analogia C^is 349, § 2 capta supponitur muneris possessio.

9. Quatenus sunt Ordinarii, ecclesiastica *librorum prohibitione non astringuntur* (C. 1401).

Quamvis eorum vicarius delegatus non sit Ordinarius proprie dictus, quia tamen, ex litteris S. C. Pr. Fid. 8 dec. 1919, omnes facultates participat vicarii generalis, eadem immunitate probabiliter fruitur.

10. Charactere episcopali aucti, honorificis episcoporum titularium privilegiis donantur (C. 306). Sunt autem :

a) Ex c. 239, § 2. « Sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtinet, etiam quod spectat ad peccata et censuras, reservatas quoque, illis tantum censuris exceptis, de quibus in n. 1, i. e. specialissime Sedi Apostolicae reservatis et illis quae annexae sunt revelationi secreti S. Officii.

Familiares sunt qui ad eorum domum pertinent, seu in ea diu noctuque degunt, causa famulatus, educationis, hospitii, infirmae valetudinis (Arg. c. 514, § 1).

b) Cum consensu, saltem *praesumpto* Ordinarii loci, verbum Dei ubique praedicandi.

c) Dummodo ne in cathedrali celebrare debeant, celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam missam in feria V maioris hebdomadae, ac tres missas in nocte Nativitatis Domini (cc. 349 et 239, 4). Restrictio « dummodo » videtur nobis sic intellegenda, ut solam celebrationem personalem afficiat. Quare, etiamsi in cathedrali sint celebraturi, possint alii permittere ut praedictas missas coram ipsis celebret.

d) Benedicendi ubique, observatis ritibus, cum omnibus indulgentiis a

S. Sede concedi solitis, rosaria aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi, sine onere inscriptionis (cc. 349 et 239, 5).

e) Erigendi in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis, stationes viae crucis cum omnibus indulgentiis annexis ; benedicendi pro fidelibus impeditis a visitandis sacris viae crucis stationibus, crucifixi imagines cum indulgentiis viae crucis (cc. 349 et 239, 6).

f) Celebrandi super aram portatilem, non solum in domo propriae habitationis, sed ubicumque degunt ; et permittendi ut alia missa, ipsis astantibus, in ea celebretur (cc. 349 et 239, 7).

g) Celebrandi in mari, debitis cautelis adhibitis (cc. 349 et 239, 8).

h) In omnibus ecclesiis et oratoriis missam celebrandi proprio calendario conformem (cc. 349 et 239, 9).

i) Fruendi altari privilegiato personali cotidiano (cc. 349 et 239, 10).

k) Lucrandi, in propriis sacellis, indulgentias, ad quas acquirendas praescripta sit visitatio templi alicuius vel publicae aediculae civitatis seu loci in quo actu commorentur : quo privilegio etiam eorum familiares frui possunt (cc. 349 et 239, 11).

Privilegium istud interpretandum putamus ad normam c. 929, ut agatur de praescripta visitatione ecclesiae indeterminatae, non autem de ecclesia definita v. g. Portiunculae Carmelitarum.

l) Benedicendi ubique populo, more episcoporum, sed in Urbe in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus (cc. 349 et 239, 12).

Privilegia ista initium habent ab accepta authentica notitia canonicae provisionis.

Ergo nec consecratio, nec capta possessio seu installatio requiruntur. Quare, « sacerdos electus et confirmatus episcopus seu vicarius Apostolicus, potest, ante suam consecrationem, iam uti pileolo violaceo in divinis officiis et missa, anulo, cruce pectorali, etc. » (Prümmer, *Manuale*, Q. 121).

11. Qui charactere episcopali carent, habent, durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia *Protonotariorum Apostolicorum* de numero participantium.

Insignia et privilegia ista haurienda sunt ex statutis reformatis collegii Protonotariorum, editis 12 april. 1904 (ANALECTA ECCLESIASTICA, XII, 1904, pp. 314. 315, *Privilegi*) et ex Motu proprio *Inter multiplices*, 21 febr. 1905, n. 2-12 (ANALECTA ECCLESIASTICA, XIII, 1905, p. 54).

Quae praefecto apostolico potissimum utilia sunt recensenda videntur :

a) Qualitas praelati domestici Sanctitatis Suae. Hinc titulus praelati (*Monsignore, Monseigneur*) — habitus praelaticius : is, *in sacris functionibus*, complectitur caligas, collare, talarem vestem cum cauda, numquam tamen explicanda, neque in ipsis Pontificalibus celebrandis ; sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis, a laeva pendentibus, et palliolum seu mantelletum supra rocchettum ; insuper nigrum biretum flocculo ornatum coloris rubidi ; pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem rubidi coloris, cuius coloris et serici erunt etiam ocelli, globuli, exiguus torulus, collum et anteriores extremitatss vestis ac mantelletti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus

(paramant) in manicis (etiam roccheti); *extra vero sacras functiones*, habitu uti poterunt, vulgo *piano*, in congregationibus, conventibus, sollemnibus audientiis, ecclesiasticis et civilibus, idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, rubidi coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis rubidi coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur (Motu Proprio citato, A, 16. 17).

Insuper gestare possunt, perpetuo, etiam in privatis missis aliisque sacris functionibus, *anulum* gemmatum (Ibidem, n. 4).

Hinc quoque proprium *stemma*, cui imponere possunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem rubidi coloris, sine cruce vel mitra. (Ibidem, n. 18).

b) Usus *pontificalium insignium :* in omni missa lecta, usus palmatoriae ; — in missa lecta cum aliqua sollemnitae, habitu praelaticio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare, in genuflexorio, pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere, aliquem clericum in sacris assistentem habere, ac duos inferiores ministros. Fas erit praeterea canonem et palmatoriam, urcem et pelvim cum manutergio in lance adhibere. In missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam canone et urceo cum pelvi et lance ad manutergium. (Ibidem, n. 10).

Pontificalia celebraturi, habitu praelaticio induti, in accessu et recessu, supra mantellettum crucem gestare possunt pectoralem, a qua alias abstinebunt ; se ipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio illis porrecto ; et per ecclesiam procedentes, numquam populo benedicent (Ibidem, n. 7). — Crux pectoralis aurea erit cum unica gemma, pendens a funiculo serico rubidi coloris commixto cum auro, et simili flocculo retro ornato. — Mitra erit ex tela aurea (numquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta caerim. episcoporum (I, XVII, n. 2 et 3) ; nec alia mitra nisi simplici, diebus paenitentialibus et in exsequiis iis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub mitra tantum uti poterunt (Ibidem, n. 9).

c) Privilegium *altaris portatilis* (Statuta, n. 9).

d) Qui eorum missam audiunt, ubique *praecepto* ecclesiastico *missae audiendae* satisfaciunt (Motu proprio, n. 11).

N. B. Quia non sunt in propria dioecesi : nec cathedralem ecclesiam habent vel capitulum canonicorum, — nec honorarios canonicos instituere possunt (S. C. Pr. Fid. 27 nov. 1858. Coll. Parisiensis, n. 29) ; — nec, dum sacris sollemniter operantur, septimum candelabrum accendendum est ; — nec crux ante ipsos ferenda est ; — nec pontificalis sub aulaeo sedes (thronus) ipsis paranda est ; — nec cappam magnam induere possunt ; — nec in versiculo precum « Oremus pro antistite nostro N. » nominandi sunt ; — nec anniversaria eorum consecrationis dies oratione in missa commemoranda est. (Cfr. de nomine in canone, S. R. C. resp. 8 mart. 1919, A. A. S. XI, 145.)

Sed ex positivo S. Sedis privilegio vel ex ipsa legitime praescripta consuetudine, talia vicario Apostolico vel praefecto Apostolico advenire posse non negamus. S. Sedes satis facile concedere solet ut vicarius Apostolicus in canone nominetur. Pari autem passu procedunt nominatio in canone et nominatio in versiculo, ita ut si alterutrum ex usu vel indulto concedatur, alterum simul haberi existimandum sit. (Cfr. decr. S. R. C. 22 mart. 1912, PER. VI, 205. 206).

ARTICULUS IV. **Vicarii et Praefecti Apostolici Obligationes**

1. Quadam extensione iuris iam diu pro episcopis residentialibus constituti, ex c. 334, 3, debent canonicam sui territorii *possessionem capere*, ostendendo per se vel per procuratorem, si vicarius apostolicus, litteras apostolicas; si praefectus, decretum seu patentes litteras S. C. Pr. Fid. ei qui territorium regebat. Cfr. infra.

2. Coram delegato ab Apostolica Sede *fidem profiteri* debent (c. 1406).

3. Vicarius Apostolicus (non autem praefectus) debet, sicut episcopus, alternis quinque annis *sacra limina visitare;* et quidem in anno quo relationem exhibere debet. Huic tamen obligationl, si graviter ipse impeditus est, satisfacere potest (nulla impetrata dispensatione) per procuratorem etiam in Urbe degentem (cc. 299 et 341).

4. Singulis quinquenniis, plena et accurata *relatio de statu* vicariatus et praefecturae secundum formulam a S. Sede praestitutam, S. Sedi exhibenda est. Quinquennia sunt fixa et communia, ita ut vicarius et praefectus Apostolicus totius Americae et insularum adiacentium relationem annis 1914-1919-1924-1929, etc. vicarius et praefectus Apostolicus Africae, Asiae, Australiae et insularum adiacentium, annis 1915-1920-1925-1930, etc. relationem mittere debeant. Relatio scripta esse debet; et tum a vicario aut praefecto Apostolico, tum ab uno saltem e consiliariis, de quibus infra, subscribenda est.

Si tamen annus mittendae relationis inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab inita administratione, vicarius et praefectus Apostolicus, pro ea vice, conficienda et exhibenda relatione abstinere possunt.

Sub cuiusque autem anni exitum iidem « ad S. Sedem mittant elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum annuaeque sacramentorum administrationis una cum aliis notatu dignis » (c. 300).

5. In suo vicariatu vel praefectura *residere* debent, nec ab ea per notabile tempus, inconsulta S. Sede, abesse possunt.

Argumentando ex canone 338, de episcopis, notabile tempus aestimamus ad duos vel tres menses per annum, continuos vel intermissos.

6. Regionem sibi concreditam debent per se vel, se impedito, per alium *visitare*, quandocumque sit opus (c. 301). Spatium ergo non definitur.

7. *Consilium*, ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis constituere debent. Communis tamen deliberatio, per se optanda, non exigitur ; sed in gravioribus et difficilioribus negotiis, saltem per epistolam, consultorum sententiam audiant (c. 302). Suffragia itaque sunt mere consultativa.

8. Postulatur, quantum copia opportuna habeatur, *annua* saltem *congregatio* et certe praecipuorum missionariorum proprii territorii, cum saecularium tum religiosorum, ut vicarius et praefectus singulorum experientia et consiliis iuventur.

9. In loco tuto et commodo constitui debet vicariatus et praefecturae *archivum*, in quo instrumenta et scripturae quae spiritualia et temporalia vicariatus seu praefecturae negotia spectant, apte disposita et diligenter clausa custodiantur. — Cum omni diligentia inventarium conficiatur seu catalogus documentorum quae in eo continentur, cum brevi synopsi singularum scripturarum. Quotannis, primo bimestri, inventarium compleatur. Scripturae fortasse distractae et dispersae, sedula cura restituendae sunt. Nec permittendum est ut scripturae diu auferantur et sine syngrapha, ab auferente signata.

Alterum praeterea *archivum secretum* constituendum est, vel saltem in communi archivo armarium seu scrinium clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat, providendum est. In eo cautissime servandae sunt scripturae secretae. Singulis vero annis, quam primum comburantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint, vel quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae. — Huius quoque archivi catalogus conficiendus est.

10. Canone 305, sub gravi inculcatur cura praeparandi *clericos* et sacerdotes *indigenas*. Non uno S. Sedis documento idem iam commendatum est. Cfr. v. g. c. *Speculatores*, Clementis IX, 13 sept. 1669 ; Leonis XIII ep. encycl. *Ad extremas Orientis*, 24 iun. 1893. Pro regionum varietate, spes proximior affulget vel diutius differenda est; non ideo tamen sollicitudo exuenda, cum apud ipsos nigritas Africae iam sacerdotes sint et ferventes moniales.

11. *Applicatio missae* pro populis sibi commissis, quae antea, v. g. resp. Pr. Fid. 16 aug. 1868, decenti caritati ascribebatur, iam a vicario et a praefecto Apostolico facienda praecipitur, saltem in sollemnitatibus Nativitatis Domini,

Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., S. Ioseph, eius sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum. Id est, omnibus festis praeceptis extra Dominicam, excepto festo Circumcisionis, et additis Dominicis Paschatis et Pentecostes (c. 306).

Servandum dicitur praescriptum c. 339, § 2 ss. Itaque obligatio ista est *personalis*, seu per ipsum vicarium vel praefectum implenda ; *realis*, ita ut impeditus per alium supplere debeat ; *statis diebus* exsequenda, ita ut omissae missae quam primum a vicario aut praefecto supplendae sint. Qui duos vicariatus vel praefecturas, vel, praeter dioecesim, vicariatum vel praefecturam administranda habeat, unius missae applicatione satisfacit. Cum obligatio annectatur officio, tenet ex ipsa iustitia. Si quaeras tamen utrum necne vicarius vel praefectus Apostolicus, personaliter, v. g. infirmitate impediti, debeant soluto stipendio celebrationem per alios procurare, responsum damus quod de ipsis episcopis residentialibus et parochis valere putamus. Id est, si onus est annexum beneficio vel aliqua stipendii ratione obligatio litandi pro populo compensatur, haec erit, etiam soluto stipendio, per alium implenda, vel, si omissa fuerit, supplenda. Si autem, ut plerumque, vicarius et praefectus Apostolicus munere gratis funguntur, non videntur pecuniam solvere debere, ut per alium personalis eorum obligatio exsecutione compleatur.

12. Ubi fieri commode possit, vicariatus et praefectura Apostolica *dividenda* sunt in distinctas partes territoriales, quibus proprius pastor, quasi-parochus, praeficiatur (c. 216).

Effectus pro delegatione ad assistendum matrimoniis probe attendendus est. Canone enim 1096 omnis delegatio generalis excluditur praeter vicariorum cooperatorum, pro paroecia cui sunt addicti. Iam vero, quam diu vicariatus vel praefectura non sunt divisa, omnes missionarii qui ministeriis sacris funguntur sunt quasi vicarii cooperatores ipsius vicarii vel praefecti Apostolici. Facta autem divisione, distinctis quasi-paroeciis proprii sunt cooperatores ; ita ut missionarii nequeant iam indiscriminatim generaliter delegari. Verum a S. C. Pr Fid. admittitur partialis vicariatus divisio, ita ut mixtum regimen inducatur, quo, extra territoria divisa, reliquus vicariatus sit quasi una paroecia cuius missionarii sint vicarii cooperatores.

13. Ex canone 304, *synodus vicariatus* apostolici habendus est ; nullum tamen praefinitur tempus pro synodi celebratione, ita ut iudicium de tempore opportuno prudenti arbitrio vicarii Apostolici relinquatur.

De synodo *praefecturae* tacet Codex. Quare congregari potest, sed non debet.

Deficiente provincia ecclesiastica, de *concilio provinciali* agi nequit, ita ut pars canonis 304 quae sermonem habet de istis conciliis in regionibus S. C. Pr. Fid. subiectis, respiciat regiones ubi, sicut in Indiis, episcopi residentiales iam con-

stituti sunt. Nihil tamen impedit quin vicarii et praefecti unius regionis, conventus celebrent ad deliberandum de communibus utilitatibus. Sed conventus iste collectiva iurisdictione carebit, nisi, licentia obtenta S. Sedis, pro vero concilio regionali haberi possit.

14. Ubi primum in territorium suum advenerint, debent vicarii et praefecti Apostolici deputare ex alterutro clero *pro-vicarium* vel *pro-praefectum* idoneum, nisi coadiutor cum futura successione a S. Sede datus fuerit.

Pro-vicarius vel pro-praefectus, nihil, qua talis, potest, vivente vicario seu praefecto ; sed his deficientibus, vel ita per captivitatem, relegationem, exsilium aut inhabilitatem impeditis, ut ne per litteras quidem cum suis subditis communicare possint, pro-vicarius vel pro-praefectus totum regimen missionis assumere debent, et in hoc munere permanere, donec a S. Sede aliter provisum fuerit.

Pro-vicarius vel pro-praefectus idem esse potest qui vicarius delegatus renuntiatus est ; potest tamen quoque esse distinctus. Quo casu, propter claram iuris dispositionem, pro-vicarius vel pro-praefectus, non autem vicarius delegatus, supremum missionis regimen assumit. Dum contra, si episcopus dioecesanus pariter impediatur, vicarius capitularis nominari nequeat, sed dioecesis per vicarium generalem administratur.

Pro-vicarius vel pro-praefectus, qui titulari successerit, statim ipse debet ecclesiasticum virum designare qui sibi in munere succedat.

« Si forte contingat ut nemo sive a titulari sive a protitulari uti administrator fuerit designatus, tunc senior in vicariatu vel praefectura, is, nempe, qui sit praesens in territorio et suas destinationis litteras in eodem prius exhibuerit, censetur delegatus a S. Sede ut regimen assumat ; et inter plures aeque seniores, antiquior sacerdotio. » (C. 309, § 4.)

Senior iste itaque non habet nisi potestatem delegatam. (Sic R. P. Blat, *Commentarium textus* etc., p. 273.) Seniori tamen, ut supra diximus, praefertur *vicarius delegatus*, si talis fuerit constitutus.

Ipsa antiquitas non adeo facile constabit, ubi nullus codex diem notaverit qua litterae ostensae sint, vel, sicut ab initio monuimus, sine formali litterarum exhibitione missionarii admissi fuerint : quod saepe eveniet cum religiosis eiusdem Instituti atque est vicarius vel praefectus. Senior in missione tunc dicendus videtur qui prior a vicario vel praefecto agnitus fuerit.

Quid autem si prioritas ista dubia sit dubio quod solvi nequeat ? Existimamus tunc illos de quibus dubitatur pari iure habendos esse, ita ut inter illos antiquior sacerdotio

regimen assumere possit. Ac neglegi quoque posse putamus eum qui prorsus sit propter infirmitatem incapax. Qui vero vicarium aut praefectum supplent, S. Sedem statim monere debent ; interea autem omnes facultates ordinarias et delegatas exercere possunt, iis solis exceptis quae propter personae industriam commissae fuerint.

APPENDIX

1. Canone 301 providetur quoque ut qui *ad tempus* vicariatui vel praefecturae praepositus sit, etiam elapso isto tempore, cum omnibus suis facultatibus permanere in regimine debeat, donec successor canonicam sui muneris possessionem ceperit.

2. Ex canone 307, nec vicario nec praefecto licet, inconsulta Sede Apostolica, concedere missionariis ab ea missis veniam in perpetuum deserendi vicariatum aut praefecturam, vel alio transeundi, nec eos quoquo modo expellere. — Nec, id addimus, expellere poterunt missionarios religiosos sine assensu proprii Superioris, qui ipse eosdem revocare potest.

In casu tamen publici scandali possunt ipsi, audito suo consilio, et si agatur de religiosis, praemonito, quantum fieri potest, Superiore, missionarium statim removere, facta tamen ilico certiore Apostolica Sede (c. 307).

3. Nuperrimo decreto 25 iul. 1920 (A. A. S. XII, (2 aug. 1920), p. 331 ss.), S. C. Prop. Fid. dedit de erectione quasi-paroeciarum instructionem quae in tomo XI referetur et explicabitur. Nihil habet quod praesenti lucubrationi adversetur. Verum consilium dat ut, peracta divisione in quasi-paroecias, territorium quoque dispertiatur in districtus qui plures quasi-paroecias comprehendant, et sint quasi-vicariatus foranei. Hunc praeterea effectum erectae quasi-paroeciae indicat, ut « omnes ecclesiae, capellae vel oratoria, intra fines territorii quasi-paroeciae sita, subsidiaria habeantur et in eius ditione et dependentia maneant donec quasi-paroecialitatem consequantur, vel a quasi-parochi cura exempta fuerint ad normam c. 464. » Ut patet, excipienda sunt oratoria ad religionem exemptam pertinentia.

MONUMENTA

1. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

LITTERAE ENCYCLICAE 15 IUN. 1917

De praedicatione divini verbi (A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 305)

BENEDICTUS Pp. XV

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Praedicatione verbi divini voluit Christus homines compotes vitae aeternae facere:

Humani generis Redemptionem Iesus Christus in ara Crucis moriendo cum consummasset, velletque adducere homines ut, suis praeceptis obtemperando, compotes fierent aeternae vitae, non alia usus est via quam suorum voce praeconum qui, quae ad salutem credenda faciendaque essent, hominum universitati denuntiarent. *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* [1]. Elegit igitur Apostolos, quibus cum per Spiritum Sanctum dona infudisset tanto muneri consentanea, *Euntes*, inquit, *in mundum universum praedicate Evangelium* [2]. Quae quidem praedicatio faciem orbis terrae renovavit. Nam, si Fides christiana mentes hominum a multiplici errore ad veritatem, animosque a sordibus vitiorum ad omnium virtutum excellentiam convertit, profecto ipsius praedicationis ope convertit : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* [3]. Quapropter, quoniam, Dei nutu, iisdem causis quibus procreatae sunt, res conservantur, patet praedicationem christianae sapientiae ad continuandum aeternae salutis opus divinitus adhiberi ; et eam in maximis gravissimisque rebus iure numerari : in quam propterea curae cogitationesque a Nobis praecipuae conferendae sunt, maxime si aliqua ex parte, a nativa integritate, cum suae efficacitatis detrimento, deficere videatur.

unde patet quanti facienda sit.

Etsi autem plurimi sunt contionatores, pravi tamen sunt populi mores.

Id enimvero est, venerabiles Fratres, quod ad ceteras miserias horum temporum quibus Nos ante alios sollicitamur, accedit. Etenim, si circumspiciamus quam multi sint qui verbo Dei praedicando dant operam, tanta occurret copia, quanta fortasse numquam fuit antea. Si autem consideremus, quo loco sint publice ac privatim mores atque instituta populorum, crescit in dies vulgo rerum quae supra naturam sunt, despicientia et oblivio ; sensim a christianae virtutis severitate disceditur, maioresque ad probrosam ethnicorum vitam cotidie regressus fiunt.

---

[1] *Cor.*, 1, 21.
[2] Marc., 16, 15.
[3] *Rom.*, 10, 17.

Idque non verbi divini sed praedicatorum vitio tribuendum.

Horum quidem malorum variae sunt multiplicesque causae : nemo tamen negaverit deplorandum esse quod eis malis a ministris verbi non satis afferatur medicinae. Numquid sermo Dei talis esse desiit, qualis ab Apostolo dicebatur, vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti ? Num gladii huius aciem usus diuturnitas hebetavit ? Vitio certe tribuendum est ministrorum qui non tractant, quem ad modum oportet, hunc gladium, si is non omnibus locis vim suam exerceat. Neque enim dici potest melioribus, quam nos, temporibus Apostolos usos esse, quasi tum aut plus esset docilitatis ad Evangelium aut minus contra divinam legem contumaciae.

Ut ad normam suam revocetur praedicatio,

Omnino igitur, quod Nos apostolici officii conscientia admonet duorumque proximorum Decessorum exemplum hortatur, huc summo studio, pro rei gravitate, incumbendum Nobis esse intellegimus, ut praedicationem divini verbi ad eam normam, ad quam Christi Domini iussu Ecclesiaeque statutis dirigenda est, ubique revocemus.

inquirendae sunt eius inefficaciae causae. Quae sunt : male electi contionatores, contionis non rectum propositum, modus ineptus.

Principio, venerabiles Fratres, quaeramus oportet, quas ob causas in hoc genere de via declinetur. Iam istae causae ad tres redire videntur : aut is ad praedicandum assumitur qui non debet ; aut id muneris non eo exercetur consilio quo debet ; aut non eo modo quo oportet.

Hoc ministerium Episcoporum proprium est,

Etenim praedicationis munus, ex Tridentinae Synodi doctrina, *Episcoporum praecipuum est* [1]. Apostoli quidem, quorum in locum successere Episcopi, hoc maxime suarum partium esse duxeruut. Ita Paulus : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare* [2]. Ceterorum autem Apostolorum ea fuit sententia : *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis* [3]. Etsi autem proprium id est Episcoporum, tamen, quoniam variis distenti curis in suarum gubernatione ecclesiarum, nec semper nec usque quaque ipsi per se possunt, necesse est etiam per alios huic officio satisfaciant. Quare in hoc munere quicumque praeter Episcopos versantur, dubitandum non est quin, episcopali fungentes officio, versentur. — Haec igitur prima lex sanciatur, ut munus praedicationis sua sponte suscipere liceat nemini ; sed ad illud exsequendum cuivis opus sit missione legitima, quae, nisi ab Episcopo, dari non potest : *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur ?* [4]. Missi sunt enim Apostoli et ab Eo missi qui summus est Pastor et Episcopus animarum nostrarum [5] ; missi septuaginta duo illi discipuli ; ipseque Paulus, quamvis constitutus iam a Christo vas electionis ut nomen eius coram gentibus et regibus portaret [6], tum demum iniit apostolatum cum seniores, Spiritus Sancti mandato *Segregate mihi Saulum in opus* (Evangelii) [7], obtemperantes, eum cum impositione manuum dimisissent. Id quod primis Ecclesiae temporibus perpetuo usitatum est. Omnes enim, vel qui in sacerdotum ordine eminebant, ut Origenes, et qui postea ad episcopatum evecti sunt, ut Cyrillus Hierosolymitanus, ut Ioannes Chrysostomus, ut Augustinus

nec sine eorum missione exerceri potest.

---

1 Sess. XXIV, *De Ref.*, c. IV.
2 1 *Cor.*, 1, 17.
3 *Act.*, 6, 2.
4 *Rom.*, 10, 15.
5 1 Petr., 2, 25.
6 *Act.*, 9, 15.
7 *Act.*, 13, 2.

ceterique Doctores Ecclesiae veteres, sese ex sui quisque Episcopi auctoritate ad praedicandum contulerunt.

Nunc autem multi praedicant non missi.

Nunc vero, venerabiles Fratres, longe aliud venisse in consuetudinem videtur. E sacris oratoribus non ita pauci sunt in quos apte cadere illud dixeris quod queritur Dominus apud Ieremiam : *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant* [1]. Nam cuicumque vel ex ingenii indole vel aliis quibusvis de causis *ministerium verbi* suscipere libuerit, facile ei patet aditus ad suggesta templorum, tamquam ad palaestram in qua quivis suo arbitratu sese exerceat. Itaque ut iam de medio tollatur tanta perversitas, vestrum est, venerabiles Fratres, providere ; et quoniam de pabulo vestris gregibus praebito reddenda Deo Ecclesiaeque a vobis ratio est, ne sinite ut quis, iniussu vestro, in ovile se inferat, et oves Christi ad suum arbitrium pascat. Nemo igitur in dioecesibus vestris, nisi vocatus probatusque a vobis, iam nunc sacras contiones habeat.

Qui abusus ut tollatur

ne praedicet quisquam nisi missus;

ne mittatur nisi idoneus

Hic vero summa cum vigilantia attendatis volumus quibus munus tam sanctum demandetis. Qua in re Episcopis hoc tantum, Concilii Tridentini decreto, permittitur ut *idoneos* eligant, id est qui possint *officium praedicationis salubriter exsequi*. *Salubriter*, dictum est — notate verbum quo rei continetur norma — non *eloquenter*, non *cum plausu audientium*, verum cum animarum fructu, ad quem, tamquam finem, divini verbi administratio pertinet. — Quod si pressius definiri a Nobis cupitis quos reapse habeatis idoneos, eos dicimus in quibus divinae vocationis argumenta reperietis. Nam quod requiritur ut quis ad sacerdotium admittatur : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo* [2], idem opus est ut quis ad praedicandum habilis aptusque iudicetur. Quae quidem vocatio haud difficile deprehenditur. Christus enim, Dominus et Magister Noster, cum in eo esset ut in caelum ascenderet, nequaquam dixit Apostolis ut illico, diversi abeuntes, praedicare inciperent : *Sedete*, inquit, *in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* [3]. Hoc igitur erit indicio quempiam divinitus ad id muneris vocari, si is virtute ex alto sit indutus. Quod cuiusmodi sit, licet ex iis colligere, venerabiles Fratres, quae in Apostolis, statim ut virtutem desuper acceperint, scimus evenisse. Ubi enim in eos Spiritus Sanctus descendit — ne mirifica, quibus aucti sunt, charismata attingamus — ex rudibus infirmisque hominibus docti perfectique evaserunt. Sit igitur sacerdos quispiam congruenti tum scientia tum virtute praeditus — modo ei dona naturae suppetant quae necessaria sunt ne tententur Deus — recte ad praedicationem vocatus videbitur, neque erit cur ab Episcopo ad hoc munus non possit assumi. Quod ipsum vult Tridentina Synodus, cum edicit, ne quos Episcopus praedicare sinat qui non *sint moribus et doctrina probati* [4]. Itaque Episcopi est eos, quibus praedicandi munus deferre cogitat, diu multumque experiri ut quae quantaque sit eorum et doctrinae copia et vitae sanctimonia cognoscat. Qui si remisse neglegenterque se gesserit, is profecto in re gravissima deliquerit, et in eius caput culpa recidet vel errorum quos imperitus praedicator fuderit, vel offensionis malique exempli quod improbus dederit.

i. e. qui moribus et doctrina probatus sit.

---

1 Ierem., 23, 21.
2 *Hebr.*, 5, 4.
3 Luc., 24, 49.
4 Loc. cit.

Ideoque de dotibus illis iudicium feratur.

Quo autem faciliores in hoc vestras, venerabiles Fratres, reddamus partes, volumus ut qui praedicandi potestatem petunt, non secus ac qui confessiones peccatorum excipiendi, de eorum moribus et eruditione posthac duplex severumque fiat iudicium. Quisquis igitur in alterutro mancus et claudicans repertus sit, nullo rei cuiusquam respectu, repellatur ab eiusmodi munere cui non esse eum idoneum constiterit. Postulat id vestra ipsorum dignitas, quorum vices a praedicatoribus geruntur, ut diximus ; flagitat Ecclesiae sanctae utilitas, quandoquidem *sal terrae* et *lux mundi* esse [1], si quis alius, is debet qui in verbi ministerio versatur.

Etsi bono delectu contionatorum finis obtineatur,

His probe consideratis rebus, ultra progredi ad explicandum quem sacrae praedicationis et finem et modum esse oporteat, supervacaneum potest videri. Nam si ad eam, quam memoravimus, regulam sacrorum oratorum delectus exigatur, quid est dubii quin, congruis ornati virtutibus, dignam in praedicando et causam sibi proponant et rationem teneant ? Sed tamen prodest haec duo illustrare capita, ut eo melius appareat, quare interdum boni praedicatoris forma in non nullis desideretur.

videndum tamen quodnam exercenti illud munus propositum esse debeat.

Quid praedicatoribus debeat in suscepto munere exsequendo esse propositum, licet intellegere ex eo quod ii possunt ac debent de se idem, quod Paulus, affirmare : *Pro Christo legatione fungimur* [2]. Si autem legati sunt Christi, illud ipsum velle debent in legatione peragenda quod Christus voluit in danda ; immo quod ipse, dum vixit in terris, sibi proposuit. Neque enim Apostoli, et praedicatores post Apostolos, alio missi sunt atque Christus : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [3] Scimus autem cuius rei gratia Christus de caelo descenderit : aperte enim declaravit : *Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* [4], *Ego veni, ut vitam habeant* [5].

Legati Christi, id quod Ipse voluit persequantur oportet,

id est mentes veritate divinitus tradita illustrare

animosque ad vitam meliorem excitare.

Utrumque igitur persequantur oportet qui sacrae praedicationi dant operam, id est, ut traditae a Deo veritatis diffundant lumen et ut in iis qui audiunt, supernaturalem excitent alantque vitam ; brevi, ut animarum quaerendo salutem, Dei promoveant gloriam. Quare, sicut perperam appelletur medicus, qui medicinam non faciat, vel alicuius artis doctor qui eam non doceat artem, sic qui praedicando non curat ad pleniorem Dei cognitionem et ad aeternae salutis viam homines adducere, eum declamatorem vaniloquum appellari licet, praedicatorem evangelicum non licet. Atque utinam huiusmodi declamatores nulli sint ! — Quid vero est quo ducuntur maxime ? Alii quidem inanis gloriae cupiditate : cui scilicet ut satisfaciant : « Student magis alta quam apta dicere, facientes apud « infirmas intellegentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. « Erubescunt humilia et plana dicere, ne sola haec scisse videantur... « Erubescunt lactare parvulos » [6]. Cumque Iesus Dominus ex humilitate auditorum ostenderet se eum esse qui exspectabatur : *Pauperes evangelizantur* [7], quid non moliuntur isti, ut ex urbium celebritate atque ex

Iam vero multi nihil quaerunt nisi vanam gloriam ex delectu auditorum,

---

1 Matth., 5, 13, 14.
2 2 *Cor.*, 5, 20.
3 Ioann., 20, 21.
4 Ibid., 18, 37.
5 Ibid., 10, 10.
6 Gillebertus Ab., *In Cant. Canticor. serm. XXVII*, 2.
7 Matth., 11, 5.

primariorum dignitate templorum commendationem suis sermonibus acquirant ? Quoniam autem in rebus a Deo revelatis quaedam sunt quibus corruptae humanae naturae perterreatur infirmitas, quaeque ob eam causam accommodatae non sunt ad evocandam multitudinem, ab iis caute se abstinent eaque tractant in quibus, si loci rationem excipias, nihil est sacrum. Ac non raro contingit ut in media pertractatione rerum aeternarum labantur ad politica, praesertim si quid eius generis animos audientium vehementer teneat occupatos. Omnino unum hoc iis esse studium videtur, placere audientibus eisque morem gerere quos Paulus *prurientes auribus* [1] dicit. Hinc ille gestus non sedatus et gravis, sed qualis in scaena aut in contione populari solet agi ; hinc illae vocis vel remissiones molliores, vel contentiones tragicae ; hinc illud orationis genus proprium ephemeridum ; hinc sententiarum illa copia ab impiorum et acatholicorum petita scriptis, non a divinis Litteris, non a Sanctis Patribus ; hinc denique illa et, quae ab eorum plerisque usurpatur, volubilitas tanta verborum, qua obtundant quidem aures et admirationem moveant audientibus, sed nihil his boni afferant quod domum reportent. Iam vero mirum quantum praedicatores isti opinione falluntur. Habeant licet quem tanto cum labore nec sine sacrilegio petunt plausum imperitorum : num pretium est operae, quando simul subeunda eis est prudentium omnium vituperatio et, quod est maius, formidandum Christi severissimum iudicium ?

rebus mundanis propositis,

sententiarum et gestuum forma insueta.

Quamquam, venerabiles Fratres, unice plausus quaerere praedicando non omnium est qui a regula normaque aberrant. Plerumque huiusmodi significationes qui captant, ideo captant ut eas ad aliud assequendum dirigant vel minus honestum. Nam, oblivioni dantes illud Gregorii : « Non praedicat sacerdos ut comedat, sed ideo ut praedicet, manducare debet » [2] haud ita rari sunt qui, cum ad alia munera, quibus decenter alerentur, non se factos esse intellegerent, ad praedicationem se contulerunt, non ministerii sanctissimi rite exercendi, verum quaestus faciendi causa. Videmus igitur curas omnes istorum minime conversas esse ad quaerendum ubi maior sperari possit fructus animarum, sed ubi plus conficiatur praedicando lucri.

Alii vero quaestum ex praedicatione quaerunt.

Iam vero, cum ab his nihil exspectare liceat Ecclesiae, nisi damnum et dedecus, summopere vobis, venerabiles Fratres, est vigilandum, ut, si quem inveneritis praedicatione ad suam gloriam vel ad quaestum abuti, eum sine cunctatione amoveatis ab officio praedicandi. Nam qui rem tam sanctam polluere non veretur tanta perversitate propositi, non sane dubitabit ad omnes indignitates descendere, ignominiae labem aspergens non sibi tantum, sed ipsi etiam sacro muneri, quod tam prave administrat.

Qui omnes ab hoc munere severe removendi sunt.

Eadem autem erit adhibenda severitas in eos qui quo decet modo non praedicent, propterea quod ea neglexerint, quae ad recte hoc ministerium obeundum necessario requiruntur. Haec vero quae sint, docet exemplo suo is qui ab Ecclesia cognominatus est *Praedicator veritatis*, Paulus Apostolus : cuius similes praedicatores utinam, Dei miserentis beneficio, multo plures habeamus.

Rectus praedicandi modus

---

1 2 *Tim.*, 4, 3.
2 *In I Regum*, lib. III.

exigit seriam praeparationem qua cognitio Dei, sui et officiorum moralium acquiratur.

Primum igitur quod discimus a Paulo hoc est, quam bene paratus et instructus ad praedicandum venerit. Neque vero hic loquimur de doctrinae studiis in quibus, Gamaliele magistro, diligenter versatus erat. Scientia enim in eo *per revelationem* infusa, obscurabat ac paene obruebat eam quam ipse sibi comparaverat : quamquam hanc quoque non parum ei profuisse ex eius Epistolis apparet. Prorsus necessaria est praedicatori scientia, ut diximus, cuius quidem luce qui caret, facile labitur, ex Concilii Lateranensis IV verissima sententia : « Ignorantia est mater cunctorum errorum ». Non tamen de qualibet rerum scientia volumus intellegi, sed de ea scilicet quae propria est sacerdotis, quaeque, ut in pauca conferamus rem, cognitione sui, Dei, et officiorum continetur : sui, inquimus, ut suas quisque utilitates omittat ; Dei, ut omnes ad eum et cognoscendum et diligendum adducat ; officiorum, ut ea servet et servari praecipiat. Ceterarum rerum scientia, ista si desit, *inflat* nec quicquam prodest.

Exemplo sit huius praeparationis Apostolus Gentium, qui totum se divinae voluntati dedidit.

Illud potius videamus, qualis in Apostolo praeparatio fuerit animi. Qua quidem in re tria sunt maxime consideranda. Primum ut se totum Paulus divinae voluntati dediderit. Vixdum enim, cum iter faceret Damascum, Iesu Domini virtute tactus est, edidit illam Apostolo dignam vocem : *Domine, quid me vis facere ?* [1]. Nam protinus illi statim coeperunt esse pro Christo, sicut perpetuo fuerunt postea, laborare et quiescere, egere et abundare, laudari et contemni, vivere et mori. Non est dubium quin ideo in apostolatu tantum profecerit, quod se Dei voluntati pleno cum obsequio permisit. Quare similiter ante omnia obsequatur Deo quisquis praedicator ad salutem animarum nititur ; ut nihil quicquam sit sollicitus quos auditores, quem successum, quos fructus habiturus sit : denique ut Deum dumtaxat, non se respiciat.

nullum formidavit laborem,

Hoc autem tantum Deo obsequendi studium animum postulat adeo comparatum ad patiendum, ut nullum fugiat laboris molestiaeque genus. Quod alterum in Paulo fuit insigne. Nam, cum de eo dixisset Dominus : *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati* [2], ipse deinde aerumnas omnes tanta voluntate complexus est ut scriberet : *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* [3]. Iam vero haec laboris tolerantia in praedicatore si emineat, cum quicquid humani in eo sit, abstergeat, ac Dei gratiam ei ad fructum ferendum conciliet, tum incredibile est quam eius operam christiano populo commendet. Contra, parum ad permovendos animos ii possunt, qui quocumque venerint, ibi commoditates vitae plus aequo consectantur, ac dum suas contiones habeant, nihil aliud fere attingunt ministerii sacri, ut appareat plus eos propriae servire valetudini, quam animarum utilitati.

et spiritu orationis imbutus erat.

Tertio denique loco *spiritum orationis* qui dicitur, necessarium praedicatori esse intellegimus ex Apostolo ; qui ut primum vocatus est ad apostolatum, Deo supplex esse instituit : *Ecce enim orat* [4]. Etenim non copiose dicendo nec subtiliter disserendo aut vehementer perorando salus quaeritur animarum : qui hic consistat praedicator nihil est nisi *aes sonans aut cymbalum tinniens* [5]. Id quo fit ut vigeant humana verba

[1] *Act.*, 9, 6.
[2] Ibid., 9, 16.
[3] 2 *Cor.*, 7, 4.
[4] *Act.*, 9, 11.
[5] 1 *Cor.*, 13, 1.

mirificeque valeant ad salutem, divina est gratia : *Deus incrementum dedit* [1]. Del autem gratia non studio et arte comparatur, sed precibus impetratur. Quare qui parum aut nihil orationi est deditus, frustra in praedicatione operam curamque consumit, cum coram Deo nec sibi nec audientibus quicquam proficiat.

Deficienti doctrinae, si opus sit, suppleat maior sanctitas vitae.

Itaque, paucis concludentes quae hactenus diximus, his Petri Damiani verbis utamur : « Praedicatori duo sunt permaxime necessaria, videlicet « ut sententiis doctrinae spiritualis exuberet, et religiosae vitae splendore « coruscet. Quod si sacerdos quispiam ad utrumque non sufficit, ut et « vita clarus et doctrinae facultate sit profluus : melior est vita procul « dubio quam doctrina... Plus valet vitae claritas ad exemplum, quam « eloquentia vel urbanitas accurata sermonum... Necesse est ut sacerdos, « qui praedicationis officio fungitur, et doctrinae spiritualis imbribus « pluat, et religiosae vitae radiis splendeat : instar illius Angeli, qui « natum Dominum pastoribus nuntians, et splendore claritatis emicuit, et « quod evangelizare venerat, verbis expressit » [2].

Christi persona proponatur. Eius doctrinam et mandata intrepide doceantur fideles,

Sed, ut ad Paulum redeamus, si quaerimus quibus de rebus consuevisset praedicando agere, ipse sic omnia complectitur : *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum* [3]. Efficere ut Iesum Christum homines magis magisque cognoscerent et quidem cognitione quae ad vivendum, non modo ad credendum, pertineret, hoc est quod omni apostolici pectoris contentione laboravit. Itaque Christi dogmata et praecepta omnia vel severiora sic tradebat ut nihil nec reticeret nec molliret, de humilitate, de abnegatione sui, de castitate, de rerum humanarum contemptu, de oboedientia, de venia inimicis danda, de similibus. Nec vero timide illa denuntiabat : inter Deum et Belial eligendum esse cui serviatur, utrique non posse ; omnes, ut e vivis excesserint, tremendum manere iudicium ; cum Deo non licere transigi ; aut vitam aeternam sperandam, si universae obtemperetur legi, aut, si cupiditatibus indulgendo deseratur officium, ignem aeternum esse exspectandum. Neque enim *Praedicator veritatis* umquam putavit abstinendum ab huiusmodi argumentis propterea quia, ob corruptionem temporum, nimis dura viderentur iis, ad quos loquebatur. — Apparet igitur quam non probandi sint ii praedicatores, qui quaedam christianae doctrinae capita, ne fastidio sint audientibus, non audent attingere. Num medicus quisquam inutilia remedia dabit aegrotanti, quia is ab utilibus abhorreat ? Ceterum inde probabitur oratoris virtus et facultas, si, quae ingrata sunt, ea grata dicendo reddiderit.

non humanis sed ex scriptura et Traditione desumptis argumentis.

Quae autem tractanda susceperat, quo modo Apostolus explicabat ? *Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis* [4]. Quanti refert, venerabiles Fratres, hoc omnibus esse exploratissimum, cum videmus non paucos e sacris contionatoribus ita dicere ut Scripturas Sanctas, Patres Doctoresque Ecclesiae, theologiae sacrae argumenta praetermittant ; nihil fere nisi rationem loquantur. Perperam profecto : neque enim in ordine supernaturali humanis tantum adminiculis quicquam proficitur. — At

[1] Ibid., 3, 6.
[2] Epp. lib. I, *I Ep. I ad Cinthium Urbis Praef.*
[3] I *Cor.*, 2, 2.
[4] Ibid., 2, 4.

illud opponitur : praedicatori qui quae divinitus revelata sunt, urgeat, non haberi fidem. — Itane vero ? Sit sane apud acatholicos : quamquam cum Graeci sapientiam, nimirum huius saeculi, quaererent, Apostolus tamen eis Christum crucifixum praedicabat [1]. Quod si oculos convertamus ad gentes catholicas, in his ii qui alieni sunt a nobis, fere Fidei radicem retinent : mentes enim obcaecantur eo quod animi corrumpuntur.

Neve quicquam quaeratur praeter Dei gloriam.

Postremo qua mente praedicabat Paulus ? Non ut hominibus, sed ut Christo placeret : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* [2]. Cum animum gereret incensum caritate Christi, nihil quaerebat praeter Christi gloriam. O utinam qui in verbi ministerio elaborant, omnes vere Iesum Christum diligant ; utinam possint illa usurpare Pauli : *Propter quem* (Iesum Christum) *omnia detrimentum feci* [3]; et *Mihi vivere Christus est* [4]. Tantum qui amore ardent, ceteros inflammare sciunt. Quare S. Bernardus ita praedicatorem admonet : « Si sapis, concham te exhibebis et non canalem » [5] ; hoc est : quod dicis, eo plenus ipse esto, et ne satis habeas in alios transfundere. « Verum, ut idem Doctor addit, canales hodie in Ecclesia multos habemus, conchas vero perpaucas ! » [6]

Summum ergo sit Episcoporum studium dignos eligere cooperatores.

Hoc ne eveniat in posterum, vobis omni ope atque opera enitendum est, venerabiles Fratres : quorum est et indignos repellendo, et idoneos eligendo, conformando, moderando, efficere ut praedicatores, qui sint secundum Dei cor, iam plurimi exsistant. — Respiciat autem misericors gregem suum Pastor aeternus, Iesus Christus, Virgine Sanctissima quidem, ut Matre augusta ipsius Verbi incarnati et Regina Apostolorum, deprecante ; ac spiritum apostolatus in Clero refovens, plurimos esse iubeat qui studeant « se ipsos probabiles exhibere Deo, operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis » [7].

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae vobis, venerabiles Fratres, vestroque Clero ac populo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies (15 Iun. 1917).

Datum Romae apud S. Petrum die XV Iunii, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, anno MCMXVII, Pontificatus Nostri tertio.

BENEDICTUS Pp. XV.

Annotationes

Iam anno 1894, 31 Iulii, S. C. episcoporum et regularium ad Ordinarios Italiae et religionum moderatores litteras de sacris contionibus, iubente Leone XIII miserat, in quibus, notatis variis vitiis hodiernae praedicationis, cautiones opportunas episcopis et Superioribus praescribebat. Litteras istas suas fecit omnibusque Ordinariis commendavit Pius X dum illas integras in Motu Proprio « *Sacrorum Antistitum* »

---

[1] 1 *Cor.*, 1, 22, 23.
[2] *Gal.*, 1, 10.
[3] *Philip.*, 3, 8.
[4] Ibid., 1, 21.
[5] *In Cant. serm. 18.*
[6] Ibid.
[7] 2 *Tim.*, 2, 15.

1 sept. 1910 [1] exscripsit. Nunc feliciter regnans SS. D. Benedictus XV, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, tertius Pontifex novis litteris encyclicis idem argumentum urgendum duxit, ita ut summum rei momentum neminem catholicum iam fugere queat. In istis pulcherrimis litteris, hodiernus S. Pontifex, postquam ex ipsa prima sua origine ingenitam nobilitatem atque apostolicam rationem demonstraverit muneris praedicandi, quod proin episcopale esse declarat, duplex abusionum genus denuntiat: alterum ad delectum spectat ministrorum, alterum ad rationem quo sacro munere funguntur. Iubet itaque ut duplici examine facto de moribus et eruditione, probatis solummodo viris tantum munus committatur. Condemnat porro praedicationem qua propria vana gloria vel adeo quaestus captatur; ac repudiato vaniloquio et genere profano, vult ut praedicatores divini verbi solidam scientiam habere curent; ut spiritum humilitatis sub Deo, laboris et orationis excolant, christianismum non ex parte solum sed totum qualis est praedicare ne dubitent, et e sacris fontibus rationes hauriant.

Litteras quarum sic brevem summam tradere voluimus, piae sacerdotum meditationi commendare non satis possimus.

2 — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

LITTERAE APOSTOLICAE 11 IUN. 1917

Omnibus sodalibus Ordinis Praedicatorum et tertiariis absolutio generalis cum indulgentia plenaria in festo B. M. V. a Rosario conceditur (A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 323)

BENEDICTUS Pp. XV

Ad perpetuam rei memoriam. — **Supplices ad Nos** preces adhibuit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, vota depromens Capituli Generalis Friburgi in Helvetia mense augusto superioris anni celebrato, ut de Apostolica benignitate festus dies Sanctissimi Rosarii B. Mariae Virginis inter illos annumerari possit, quibus Fratres Sororesque nec non Tertiarii in communitate viventes Ordinis ipsius, absolutionem generalem cum indulgentia plenaria recipere possunt. Nos votis his piis annuentes, audito dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Maiore Paenitentiario, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, concedimus et largimur, ut in universo Ordine Praedicatorum, ubique terrarum, festus dies SSmi Rosarii B. Mariae Virginis quotannis inter illos dies recenseatur quibus Fratribus Sororibusque nec non Tertiariis in convictu degentibus Ordinis illius fas

[1] Cf. PERIODICA, t. 5, p. 202 ss.

est absolutionem generalem cum plenaria indulgentia recipere. Ad haec largimur, ut praedicta absolutio eique annexa indulgentia, tum pro festo Rosarii, tum pro aliis dicti Ordinis festis concessa, in aliam intra octavam diem transferri licite queat si forte aliquod impedimentum obsit quominus propria die habeatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI iunii MCMXVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

---

3. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 15 IUN. 1917

Ad episcopos Mexicanos de novanda rei publica et iuribus Ecclesiae (A. A. S. 1 aug. 1917. 9. 376)

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Exploratum vobis est, nec uno quidem argumento, quibus apud vos iam pridem, ob motus conversionesque rei publicae, adversis utitur catholica Ecclesia rebus, eas animum Nostrum habuisse atque etiam nunc habere vehementer sollicitum; neque ignoratis, quam impense Nos, etsi tanto a vobis intervallo disiungimur, curas aerumnasque vestras participemus. Cur vero vos hodie universos, venerabiles fratres, hisce adeamus litteris, causam affert expostulatio illa quam paulo ante edidistis, postquam Queretari nonis februariis hoc anno Lex promulgata est de re publica in Foederatis Mexici Civitatibus novanda. Perlegimus equidem, diligenterque, pro rei gravitate, expendimus quae a vobis communi scripta sunt consilio; ex iisque, quem ad modum exspectabamus, eminere vidimus tum incensum studium pro divinis Ecclesiae iuribus propugnandi, tum navitatem qua tuendae popularium vestrorum fidei prospicitis, eo quidem maiorem quo saevioribus iactamini fluctibus, tum denique insitam vobis caritatem patriae, cuius prosperitatem recte dicitis ab reverentia avitae religioni debita seiungi non posse. Quod si hisce sensibus, qui optimo cuique probandi sunt, tota nititur expostulatio illa vestra, fatendum quoque est bene multas et graves eidem constare causas; aliis enim novae Legis capitibus sacra Ecclesiae iura negleguntur, aliis vero penitus oppugnantur. Quod igitur inustam Ecclesiae iniuriam allataque rei catholicae detrimenta, stabili officii conscientia, conquesti estis, rem scitote vos fecisse pastorali officio apprime consonam et laude Nostra dignissimam. Sit ceterum vobis solacio, quod peculiari paternae caritatis Nostrae testimonio trepidis vobis afflictisque adsumus, et nihil reliqui facturi sumus, quod ad vos levandos iuvandosque pertineat. Hortamur interea, venerabiles fratres, si tamen hortatione indigetis, mitissimo Christi Iesu, Pastorum Principis,

spiritu imbuamini adeo, ut, vincentes in bono malum, eam animi magnitudinem, constantiam patientiamque praeferatis, qua vos, in praesenti potissimum, afflueret necesse est. Quoniam vero id in primis percupitis, ut, catholica istic religione in pristinum decus restituta, civium concordia disciplinaeque sanctitas revirescant, quas cotidie molestias aegritudinesque fortiter perpetimini, eas Deo placando offeratis, ut optata misericors vestra quam primum perficiat. Neque etiam deerit vobis Beatissima Dei Genetrix, quae e Sanctuario Guadalupensi pro Mexicano populo vigilat; Eaque, uti alias, nec semel, praesentissimam nationi Patronam se praestitit, ita minime dubitandum quin sit vobis, in hac tanta acerbitate rerum, validam brevi latura opem. Vobiscum profecto ad eiusdem Virginis solium perpetuis instabimus Nosmet ipsi precibus; immo etiam, ut de eiusmodi coniunctione aliqua exstet significatio, placet, venerabiles fratres, certiores vos facere, die duodecimo mensis decembris, quo die B. Mariae Guadalupensis sollemnia apud vos aguntur, esse nos sacris operaturos tum in Eius honorem quam, hoc titulo, praecipua veneratione colitis, tum in salutem carissimi Nobis Mexicani populi. Quod vero deliberatum Nobis est, id sibi quoque praenuntiari sciant dioecesium vestrarum fideles, ut eo ipso die, consociatis. Nobiscum obsecrationibus, pacis et tranquillitatis munera patriae tam conturbatae facilius concilient. Quorum auspicem, paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres, universoque clero et populo uni cuique vestrum concredito apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xv mensis iunii, festo SS. Cordis Iesu, anno MCMXVII, Pontificatus Nostri tertio.

BENEDICTUS Pp. XV.

---

4. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 16 IUN. 1917

Ad R. D. Frat. Ioa. Iosephum, Frat. ab instructione Christiana Moderatorem Gener., absoluto primo saeculo post religiosam eam familiam conditam (A. A. S. 1 aug. 1917, 9, 377)

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — **Quod nuntias** exeunte huius anni mense septembri primum saecularem familiae, cui praepositus es, natalem fore, iucundum Nobis accidit; quamquam haec tempora vix Nos patiuntur fructum capere iucunditatis. Etenim vestra recordantes in Ecclesiam et in civilem societatem promerita, non potest fieri quin recreemur. Constat, post magnam illam rerum conversionem factam sub exitum saeculi decimi octavi, cum summa esset inopia sacerdotum, praeclaro vos fuisse adiumento Parochis, cum in aliis pastoralis ministerii partibus, tum maxime in erudienda instituendaque aetate puerili. Cuinam auditae non sunt illae ad oppidum Ploërmel ortae et deinceps per Armoricam diffusae scholae, quibus quidem magna ex parte tribuendum esse consentiunt omnes, quod ea regio prae ceteris Galliae ab

avitae fidei constantia et ab integritate morum nobilitata sit? Nec ignoramus istum laborem, a vobis, duce Venerabili Francisco Maria de la Mennais, susceptum pro communi salute, non se Armoricae continuisse finibus, sed alias quoque provincias complexum esse, atque ad ipsas transmarinas oras se extendisse, satis bono cum animarum fructu et religionis incremento. Quod igitur divina benignitate, per difficultates quidem nec paucas nec mediocres, huc usque provecti estis equidem gratulamur. Simul vero cupimus optamusque ut, hoc spatium feliciter confectum respicientes, novam sumatis alacritatem aggrediendi ad ea quae restant. Idque etiam ob eam causam quia, cum hoc bellum conquieverit, extenuatis iterum et fere ubique ordinibus Cleri, strenuos adiutores, vestri similes, sacrum ministerium, multo magis quam antea, postulabit. — Quo autem caelestia munera quorum apud Nos est dispensatio, vos efficiant alacriores, vobis omnibus itemque iis qui se vobis adiunxerint, *plenariam* peccatorum veniam, usitatis condicionibus lucrandam, die XXIX septembris proximi aut alio die qui vobis opportunior videatur, cum aliquod sacrum ad grates Deo persolvendas celebrabitis, iam nunc perlibenter concedimus. Quorum auspicem divinorum munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, universisque Sodalitatis istius alumnis et fautoribus amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XVI iunii MCMXVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS Pp. XV.

5. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 13 IUL. 1917

Ad R. P. D. Alf. Louwick, sacerdotum a Missione vic. gen., de sodalicio « mulierum a caritate » abhinc tribus saeculis instituto (A. A. S. 1 aug. 1917, 9, 380)

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Si quid est quod a Nobis singulari quadam cura foveri debeat, certe pium Sodalicium debet *mulierum a caritate*. Namque in iis, quae inclitus pater et legifer vester, pro suo salutis alienae studio, providentissime invenit, hoc, ut principem tempore, ita nobilem utilitate locum obtinet. Constat virum incomparabilem pluribus annis ante Congregationem Missionis conditam, eorum miseratum vicem quorum inopia valetudinis incommodis cumularetur, multifariam pias feminas societate coniunxisse, quae huiusmodi calamitosos, opitulandi causa, inviserent : atque ut eorundem operam beneficentiae assiduitate perficeret, ideo Filias Caritatis instituisse : quibus propterea iam inde ab initio « ancillis aegrotantium pauperum » inditum nomen. Nec vero satis explicari potest quam ingentem beneficiorum vim, trium saeculorum spatio, peperierit hoc Sodalicium, brevi per orbem terrarum longe lateque diffusum. Quae quidem beneficia totum complectuntur hominem, spectantibus, uti par est, optimis feminis per

curationem corporum ad sanationem animorum. Mirum enim quantum christiana caritas valet ad persuadendum ; nec facile bonae exhortationi resistitur, cui bene facta comitentur — Quoniam igitur in proximum mensem decembrem accepimus indicta esse sacra sollemnia ob trecentesimum natalem saluberrimi instituti, placet Nobis ea, Pontificalis indulgentiae muneribus, augustiora facere, idcirco etiam, ut, cum miserorum numerus praeter modum excreverit, ad subveniendum iis bonos omnes excitemus. Itaque sodalibus Vincentianis, non ex hac tantum societate sed ex quavis familia, quotquot saecularem memoriam aliqua supplicatione celebrabunt, *plenariam* peccatorum veniam, statis condicionibus lucrandam, largimur. Atque auspicem caelestium bonorum, Nostraeque benevolentiae paternae testem, tibi, dilecte fili, iisque omnibus quos memoravimus, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIII iulii MCMXVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS Pp. XV.

---

6. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

NOVA AD MODERATORES POPULORUM BELLIGERANTIUM ADHORTATIO 1 AUG. 1917

De componendis discidiis et pace restituenda

(A. A. S. 1 sept. 1917, 9, 417)

AUX CHEFS DES PEUPLES BELLIGÉRANTS.

Quae sibi semper proposuerit S. Pontifex : utrique parti aequum se praebere, omnibus benefacere,

Dès le début de Notre Pontificat, au milieu des horreurs de la terrible guerre déchaînée sur l'Europe, Nous Nous sommes proposé trois choses entre toutes : garder une parfaite impartialité à l'égard de tous les belligérants, comme il convient à Celui qui est le Père commun et qui aime tous ses enfants d'une égale affection ; Nous efforcer continuellement de faire à tous le plus de bien possible, et cela sans acception de personnes, sans distinction de nationalité ou de religion, ainsi que Nous le dicte aussi bien la loi universelle de la charité que la suprême charge spirituelle à Nous confiée par le Christ ; enfin, comme le requiert également notre mission pacificatrice, ne rien omettre, autant qu'il était en Notre pouvoir, de ce qui pourrait contribuer à hâter la fin de cette calamité, en essayant d'amener les peuples et leurs chefs à des résolutions plus modérées, aux délibérations sereines de la paix, d'une paix « juste et durable ».

pacem iustam promovere.

Haec ita egisse R. P. sincere cuique agnoscendum est.

Quiconque a suivi Notre œuvre pendant ces trois douloureuses années, qui viennent de s'écouler, a pu facilement reconnaître, que, si Nous sommes restés toujours fidèles à Notre résolution d'absolue impartialité et à notre action de bienfaisance, Nous n'avons pas cessé non plus d'exhorter peuples et Gouvernements belligérants à redevenir frères, bien que la publicité n'ait pas été donnée à tout ce que Nous avons fait pour atteindre ce très noble but.

[5. 6]

Prima adhortatione neglecta, bellum in dies crudelius saevire coepit.

Vers la fin de la première année de guerre, Nous adressions aux nations en lutte les plus vives exhortations, et de plus Nous indiquions la voie à suivre pour arriver à une paix stable et honorable pour tous. Malheureusement Notre appel ne fut pas entendu ; et la guerre s'est poursuivie, acharnée, pendant deux années encore, avec toutes ses horreurs ; elle devint même plus cruelle et s'étendit sur terre, sur mer, jusque dans les airs ; et l'on vit s'abattre sur des cités sans défense, sur de tranquilles villages, sur leurs populations innocentes, la désolation et la mort. Et maintenant personne ne peut imaginer combien se multiplieraient et s'aggraveraient les souffrances de tous, si d'autres mois, ou, pis encore, si d'autres années venaient s'ajouter à ce sanglant triennat. Le monde civilisé devra-t-il donc n'être plus qu'un champ de mort ? Et l'Europe, si glorieuse et si florissante, va-t-elle donc, comme entraînée par une folie universelle, courir à l'abîme et prêter la main à son propre suicide ?

Motus tum maximis Europae multis, tum filiorum multorum precibus, novam eamque magis definitam adhortationem proponit.

Dans une situation si angoissante, en présence d'une menace aussi grave, Nous qui n'avons aucune visée politique particulière, qui n'écoutons les suggestions ou les intérêts d'aucune des parties belligérantes, mais uniquement poussés par le sentiment de notre devoir suprême de Père commun des fidèles, par les sollicitations de Nos enfants qui implorent Notre intervention et Notre parole pacificatrice, par la voix même de l'humanité et de la raison, Nous jetons de nouveau un cri de paix et Nous renouvelons un pressant appel à ceux qui tiennent en leurs mains les destinées des nations. Mais pour ne plus Nous renfermer dans des termes généraux, comme les circonstances Nous l'avaient conseillé par le passé, Nous voulons maintenant descendre à des propositions plus concrètes et pratiques, et inviter les Gouvernements des peuples belligérants à se mettre d'accord sur les points suivants, qui semblent devoir être les bases d'une paix juste et durable, leur laissant le soin de les préciser et de les compléter.

Materiali armorum dominationi succedat iuris imperium, recursu ad arbitros imposito.

Tout d'abord le point fondamental doit être, qu'à la force matérielle des armes soit substituée la force morale du droit ; d'où un juste accord de tous pour la diminution simultanée et réciproque des armements, selon des règles et des garanties à établir, dans la mesure nécessaire et suffisante au maintien de l'ordre public en chaque État ; puis, en substitution des armées, l'institution de l'arbitrage, avec sa haute fonction pacificatrice, selon des normes à concerter et des sanctions à déterminer contre l'État qui refuserait soit de soumettre les questions internationales à l'arbitrage soit d'en accepter les décisions.

Maris libertas restituatur.

Une fois la suprématie du droit ainsi établie, que l'on enlève tout obstacle aux voies de communication des peuples, en assurant, par des règles à fixer également, la vraie liberté et communauté des mers, ce qui, d'une part, éliminerait de multiples causes de conflit, et, d'autre part, ouvrirait à tous de nouvelles sources de prospérité et de progrès.

Damnorum bello partorum, exceptis casibus specialibus, condonatio plena fiat.

Quant aux dommages à réparer et aux frais de guerre, Nous ne voyons d'autre moyen de résoudre la question, qu'en posant, comme principe général, une condonation entière et réciproque, justifiée du reste par les bienfaits immenses à retirer du désarmement ; d'autant plus qu'on ne comprendrait pas la continuation d'un pareil carnage uniquement pour des raisons d'ordre économique. Si, pour certains cas, il existe, à l'encontre, des raisons particulières, qu'on les pèse avec justice et équité.

Mais ces accords pacifiques, avec les immenses avantages qui en découlent, ne sont pas possibles sans la restitution réciproque des territoires actuellement occupés. Par conséquent, du côté de l'Allemagne, évacuation totale de la Belgique, avec garantie de sa pleine indépendance politique, militaire et économique, vis-à-vis de n'importe quelle Puissance ; évacuation également du territoire français ; du côté des autres parties belligérantes, semblable restitution des colonies allemandes.

Territoria ab armatis hostibus occupata utrimque reddantur.

Pour ce qui regarde les questions territoriales, comme par exemple celles qui sont débattues entre l'Italie et l'Autriche, entre l'Allemagne et la France, il y a lieu d'espérer qu'en considération des avantages immenses d'une paix durable avec désarmement, les parties en conflit voudront les examiner avec des dispositions conciliantes, tenant compte, dans la mesure du juste et du possible, ainsi que Nous l'avons dit autrefois, des aspirations des peuples, et à l'occasion coordonnant les intérêts particuliers au bien général de la grande société humaine.

Lites de territoriis quibusdam aequo animo solvant, ratione habita voti populorum.

Le même esprit d'équité et de justice devra diriger l'examen des autres questions territoriales et politiques, et notamment celles relatives à l'Arménie, aux États Balcaniques et aux territoires faisant partie de l'ancien royaume de Pologne, auquel en particulier ses nobles traditions historiques et les souffrances endurées, spécialement pendant la guerre actuelle, doivent justement concilier les sympathies des nations.

Poloniae merita dolorosque praecipuo titulo sunt considerandi.

Telles sont les principales bases sur lesquelles Nous croyons que doive s'appuyer la future réorganisation des peuples. Elles sont de nature à rendre impossible le retour de semblables conflits et à préparer la solution de la question économique, si importante pour l'avenir et le bien-être matériel de tous les États belligérants. Aussi, en Vous les présentant, à Vous qui dirigez à cette heure tragique les destinées des nations belligérantes, Nous sommes animés d'une douce espérance, celle de les voir acceptées et de voir ainsi se terminer au plus tôt la lutte terrible, qui apparaît de plus en plus comme un massacre inutile. Tout le monde reconnaît d'autre part, que d'un côté comme de l'autre, l'honneur des armes est sauf. Prêtez donc l'oreille à Notre prière, accueillez l'invitation paternelle, que Nous Vous adressons au nom du divin Rédempteur, Prince de la Paix. Réfléchissez à votre très grave responsabilité devant Dieu et devant les hommes ; de vos résolutions dépendent le repos et la joie d'innombrables familles, la vie de milliers de jeunes gens, la félicité en un mot des peuples, auxquels Vous avez le devoir absolu d'en procurer le bienfait. Que le Seigneur Vous inspire des décisions conformes à sa très sainte volonté. Fasse le Ciel, qu'en méritant les applaudissements de vos contemporains, Vous vous assuriez aussi, auprès des générations futures, le beau nom de pacificateurs.

Haec si admittantur via sternetur solvendo conflictui de re oeconomica ideoque enixe petit S. P. ut summi populorum duces suam vocem audiant quo innumeris familiis pax restituatur, permultorum iuvenum vita servetur.

Pour Nous, étroitement unis dans la prière et dans la pénitence à toutes les âmes fidèles qui soupirent après la paix, Nous implorons pour Vous du Divin Esprit lumière et conseil.

Du Vatican, 1er août 1917.

Dies (1 aug. 1917).

BENEDICTUS Pp. XV.

---

7. — S. S. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

MOTU PRÓPRIO 15 SEPT. 1917

Commissio instituitur ad Codicis canones authentice interpretandos (A. A. S. 1 oct. 1917, 9, 483)

BENEDICTUS Pp. XV

Ut tueatur leges novi Codicis contra incertas dubiasque interpretationes et novarum legum varietatem

Cum iuris canonici Codicem, fel. rec. decessoris Nostri Pii X iussu digestum, non multo ante, exspectationem totius catholici orbis explentes, promulgaverimus, Ecclesiae bonum ipsiusque natura rei profecto postulant ut, quantum fieri potest, caveamus, ne aut incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et coniecturis, aut crebra novarum legum varietate, tanti operis stabilitas in discrimen aliquando vocetur. Quapropter propositum Nobis est utrique incommodo occurrere; quod ut efficiamus, Motu proprio, certa scientia atque matura deliberatione Nostra, haec quae infra scripta sunt statuimus atque decernimus:

SS. D. Commissionem instituit codici authentice interpretando;

I. Exemplum decessorum Nostrorum secuti, qui decretorum Concilii Tridentini interpretationem proprio Patrum Cardinalium coetui commiserunt, Consilium seu *Commissionem*, uti vocant, constituimus, cui uni ius erit Codicis canones authentice interpretandi, audita tamen, in rebus maioris momenti, Sacra ea Congregatione cuius propria res sit, quae Consilio disceptanda proponitur. Idem vero Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus, quorum unus coetui praesit, Auctoritate Nostra et successorum Nostrorum deligendis; his accedent tum vir probatus, qui sacri Consilii erit ab Actis, tum aliquot Consultores ex utroque clero iuris canonici periti, eadem Auctoritate designandi; sed Consilio ius erit Consultores quoque Sacrarum Congregationum, pro sua quemque re, sententiam rogandi.

decernit ut SS. CC., omissis plerumque decretis generalibus, instructiones novo iuri accommodatas edant

II. Sacrae Romanae Congregationes *nova Decreta Generalia* iam nunc ne ferant, nisi qua gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadeat. Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *Instructiones*, si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praeceptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant. Eiusmodi vero documenta sic conficiantur, ut non modo sint, sed appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum, qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur.

et ut decreta universalia, si quae fuerint necessaria, a Commissione Codicis recognita in ipsum rite inserantur.

III. Si quando, decursu temporum, Ecclesiae universae bonum postulabit, ut novum generale decretum ab aliqua Sacra Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiat, quod si a Codicis praescriptis dissentiat, Summum Pontificem de eiusmodi discrepantia moneat. Decretum autem, a Pontifice approbatum, eadem Sacra Congregatio ad Consilium deferat, cuius erit, ad Decreti sententiam, canonem vel canones redigere. Si decretum e praescripto Codicis discrepet, Consilium iudicet cuinam Codicis legi nova lex sufficienda sit; si in decreto res vertetur de qua Codex sileat, Consilium constituat quo loco novus canon vel novi canones sint in Codicem inserendi, numero canonis, qui proxime antecedit, *bis*, *ter*, etc. repetito, ne canon sede sua moveatur ullus aut numerorum

series quoquo pacto perturbetur. Quae omnia, statim post Sacrae Congregationis Decretum, in *Acta Apostolicae Sedis* referantur.

Quae Nobis videmur utiliter in hac causa decrevisse, ea omnia et singula, uti decreta sunt, ita rata et firma esse et manere volumus ac iubemus : contrariis non obstantibus quibuslibet. *Clausulae.*

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XV mensis septembris anno MCMXVII, Pontificatus Nostri quarto. *Dies (15 sept. 1917).*

BENEDICTUS Pp. XV.

Annotationes

Memorato fine et indicatis *mediis* ad finem consequendum ordinatis, summaria istius opportunissimi Motus proprii expositio absolvitur.

1. Ipse S. Pontifex, in introductione, finem a se intentum perspicuis verbis indicat. Tum facilis diversitas opinionum et coniecturarum de germano canonum sensu, tum multitudo novarum legum stabilitatem Codicis in discrimen vocare possunt. Utraque enim ratione, indirecte per interpretationes adulterinas, directe per novas leges a canonum praescriptis receditur. Utrique causae ruinae occurrere : id Pontifici propositum est.

2. Ut prior ruinae causa impediatur, consilium seu commissio constituitur Cardinalium, quae *sola* canones *authentice* interpretari poterit. Sola, i. e. exclusis etiam SS. Congregationibus, quae tamen, in re propria maioris momenti, audiendae erunt.

Authentica interpretatio obligat per modum sententiae vel legis, pro ratione qua proposita est. Eadem autem potest non solum explicare legem, verum etiam illam temperare aut ampliare. (c. 17, § 2).

In constituenda ista Commissione, S. Pontifex, ut ipse declarat, imitatus est decessores suos qui interpretationem decretorum Conc. Tridentini propriae S. Congregationi quae dicebatur *Cardinalium Conc. Tridentini interpretum* commiserunt. Prius tamen quam haec constitueretur, Pius IV C. *Benedictus Deus*, 27 ian. 1564, vetuerat ne super Decretis C. Tridentini interpretationes vulgarentur, dum nunc doctrinalis interpretatio canonum privatis permissa est.

3. Ad alteram ruinae causam avertendam, S. Pontifex hanc regulam tamquam ordinariam SS. Romanis Congregationibus praestituit, ne iam *nova decreta generalia* ferant. Si tamen gravis Ecclesiae necessitas id suaserit, decreta huiusmodi edere poterunt, etiam quae a Codicis praescriptis dissentiant. Verum ex ipsa *C. Sapienti Consilio* 29 iun. 1908 [1],

[1] PERIODICA, t. 4, p. 230.

decretum istud, utpote res gravis et extraordinaria, approbari debet a S. Pontifice, qui de discrepantia a Codice expresse certiorandus est. Approbatum deinde decretum deferendum est ad Commissionem de Codicis interpretatione. Commissio ista, ad decreti sententiam, canonem vel canones rediget, indicabitque prout casus id postulat cuinam legi Codicis sufficiendi vel quo loco inserendi sint. Ne vero ullus canon sede sua moveatur vel numerorum series aliquo pacto perturbetur, novi canones numerum a canone cui proxime adiecti sunt mutuabuntur, addito adverbio *bis*, *ter*, *quater*. Quae omnia in Acta Ap. Sedis statim referenda sunt.

4. Unitati legum ecclesiasticarum et Codicis stabilitati sic efficaciter prospectum est. Simul autem S. Pontifex ad ordinarium munus SS. Congregationum pertinere dicit ut, si res ferat, *Instructiones* edant « quae iisdem Codicis praeceptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant », quae « appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum ».

De istis Instructionibus haec interrogari possunt.

a) Licetne istis Instructionibus quaedam, non contra sed ultra Codicem praecipere? — Quod affirmandum est, cum a S. Pontifice dicantur esse *complementa* canonum.

b) Quomodo possunt apparere *explanationes* canonum quorum interpretatio authentica Commissioni reservetur? — R. Explanatio dicit expositionem canonis ceterum clari, qua ad corollaria sua naturalia perducitur, dum interpretatio veras textus ambiguitates et obscuritates dissipat.

c) Quid tunc *Instructiones* a novis legibus differunt? — R. Novae leges per se stant; Instructiones accedunt ad legem, eam circumdant et quasi vestiunt. Quare expresse referuntur ad canones qui, ut scribit Pontifex, « in documentorum contextu peropportune afferentur » nec ex superaddita instructione praeiudicium pati possunt. Sic, in iure civili hodierno, usus habet ut, post latam a Parlamento legem, Rex seu princeps rei publicae decretum conficiat (arrêté royal) quo, per varia iussa, exsecutioni legis consulit.

5. Exemplum huiusmodi instructionis habemus in normis pro sacra praedicatione quibus, die 28 iunii, 1917, S. Congr. Consistorialis voluit, probante Pontifice, ad praxim deducere quae enc. litteris *Humani generis* [1] ipse S. Pontifex de sacra praedicatione docuerat et praeceperat. Quae Normae, latae quidem post Codicis promulgationem, sed iam ante quam Codex vigere inciperet, statim observandae, ad eiusdem Codicis canones tamquam instructio pertinere

[1] Cf. hic supra, n. 1, p. 1.

dicendae sunt, ita ut simul cum Codicis canonibus obligare pergant.

6. Quaeres utrum necne in Instructiones cadat canon 9, secundum quem « leges vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est » ?

Quaesito isto negative respondendum esse existimamus : instructiones istae *statim*, ex quo lex nova vigere incipit vel ex quo ipsae promulgatae sunt, obligare incipiunt. Non obstat c. 9, qui solas leges attingit. Et natura rei postulare videtur ut recta legis exsecutio quam primum urgeatur, ita ut etiam ex c. 9 argumentum sumere nobis liceat. A consueta enim trium mensium vacatione canon ille leges excipit quae ex natura rei ilico ligant.

7. Corollarii instar istud quoque colligendum se offert, quod pluribus minus acceptum erit. Etsi nunc vigens ius canonicum longe facilius quam antea cognosci potest, vana tamen spe decipiebantur qui existimabant futurum esse ut omnia praescripta canonica in novo Codice reperirentur.

---

8. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

MOTU PROPRIO 1 MAII 1917

De Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali

(A. A. S. 2 nov. 1917, 9, 529)

BENEDICTUS Pp. XV

Sollicitudinis pro universo Christi mystico corpore

Dei providentis arcano consilio locum obtinentes beati Petri Apostolorum Principis, quem Dominus Iesus animarum, suo redemptarum sanguine, Pastorem in terris summum perpetuumque constituit, omnem Nos adhibere vigilantiam et curam ut universae ac singulae non modo conserventur sed accrescant ecclesiae, ex quibus compactum et coagmentatum constat *unum corpus Christi mysticum*, seu Ecclesia Catholica, equidem pro apostolici officii conscientia studemus. Cum autem omnes particulares ecclesias paterna caritate complectimur, tum praesertim orientales, quippe quae in vetustiore suorum temporum memoria lumina offerant sanctitatis doctrinaeque tam clara, ut eorum splendore etiam nunc, tanto intervallo, reliquas christianorum regiones collustrari videamus. Iam vero contemplari sine maerore non possumus quem ad modum ex florentissimis amplissimisque tam tenues ac miserae sint effectae, postquam scilicet lamentabilium series continuatioque causarum maximum orientalium numerum ab Ecclesiae Matris complexu distraxit. Utinam dilectis ex Oriente filiis, divino munere, contingat in possessionem pristinae prosperitatis et gloriae aliquando restitui : Nos interea, Nostrarum partium memores, dabimus diligenter operam ut ecclesiarum orientalium afflictas res, quantum est in Nobis, relevemus.

pars maxima Ecclesiae Orientali debetur ob splendorem sanctitatis et doctrinae luminum.

Eo maior tristitia est de tot sedibus in Oriente misere collapsis.

[7. 8]

Ideo constituitur Sacra Congreg. pro Ecclesiae ritus orient. negotiis

Itaque deliberatum Nobis est pro unitis, qui dicuntur, orientalibus propriam Sacram Congregationem instituere, cuius Nosmet ipsi geramus, Nostrique deinceps successores, praefecturam. Quae enim *pro negotiis ritus orientalis* usque adhuc fuit, Pii IX, f. r. decessoris Nostri auctoritate iussuque condita, cum S. Congregationi de Propaganda Fide adiuncta esset, ut huius quasi quaedam accessio posset videri, non ignoramus aliquos fuisse non bene erga Apostolicam Sedem animatos, a quibus Romani Pontifices inde arguerentur catholicos Orientales parvi pendere, eosque Latinis velle subiectos. Huiusmodi criminationes etsi quisquis res ex veritate aestimat, videt inanes esse, volumus tamen de huius Apostolicae Sedis in Orientales benevolentia constare ita ut dubitare iam liceat nemini. Et nostri quidem Orientales, cum videant Pontificem Maximum suis utilitatibus ipsum prospicere, intelligent profecto non posse Apostolicam Sedem se eis amantiorem ostendere. E ceteris autem libet confidere iam non fore qui Latinos in suspicionem Orientalibus adducant, cum vel ex hac re sit manifestum, in Ecclesia Iesu Christi, ut quae non latina sit, non graeca, non slavonica, sed catholica, nullum inter eius filios intercedere discrimen, eosque, sive latinos, sive graecos, sive slavos, sive aliarum nationum, omnes apud hanc Apostolicam Sedem eundem locum obtinere.

ne secundo quasi loco in Ecclesiae regimine et SS. Pontificum corde Orientales versari videantur.

Quare de apostolicae potestatis plenitudine haec Motu proprio statuimus et sancimus :

1. Sectionu S. Congr. de P. F. abolitae

I. Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis die xxx mensis novembris huius anni esse desinat.

2. Nova Congreg. succedit, cuius Praefectus ipse R. P. erit.

II. Seorsum a S. Congregatione de Propaganda Fide, *S. Congregatio pro Ecclesia Orientali* sit a die 1 mensis insequentis : cui quidem praeerit ipse Summus Pontifex. Ea complectetur aliquot S. R. E. Cardinales, ex quibus unus Secretarius erit : adiunctos habebit e spectatissimis de Clero viris unum Assessorem et plures tum ex latino tum ex orientali ritu Consultores ; praeterea idoneum officialium numerum ex clericis qui rerum orientalium peritiores sint.

3. Ei reservantur omnia negotia, etiam mixta, Eccl. Orient.

III. Huic Congregationi reserventur omnia cuiusvis generis negotia quae sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritus Ecclesiarum orientalium referuntur, etiamsi sint mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant.

4 Locum tenet omnium Congreg., excepto S. Off., pro Eccl. orient.

IV. Pro Ecclesiis ritus orientalis haec Congregatio omnibus facultatibus potiatur, quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, salvo tamen iure Congregationis S. Officii.

5. Negotia tamen non disciplinaria ad tribunal remittat.

V. Eadem Congregatio controversias dirimat via disciplinari ; quas vero ordine iudiciario dirimendas iudicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Congregatio disignaverit.

Clausulae.

Quae omnia rata et firma esse volumus in perpetuum, contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Dies (1 maii 1917).

Datum Romae apud S. Petrum die 1 mensis maii, anno MDCCCCXVII, Pontificatus Nostri tertio.

BENEDICTUS Pp. XV.

Annotationes

Constituta a Gregorio XV, Const. *Inscrutabili*, d. 23 maii 1622 Congregatione Propagandae Fidei, necessitas negotia

Ecclesiae orientalis per peculiare Consilium tractandi mox apparuit. Iam URBANO VIII Pontifice (1623-1644), in ipsa generali Congregatione de P. F. duo specialia consilia ordinata sunt, alterum *super dubiis Orientalium*, alterum *super correctione Euchologii Graecorum* (a. 1631). Cui CLEMENS XI (1700-1721) peculiarem Congregationem suffecit *super correctione librorum Orientalium*, distinctam a S. C. de P. F. Tandem PIUS IX voluit ut omnia negotia Ecclesiae Orientalis coetui Cardinalium committerentur, qui tamen communem cum generali Congregatione de P. F. Praefectum haberent (Const. *Romani Pontifices*, 6 ian. 1862) [1]. Nihil vero in hac re a PIO X in reformatione Curiae (Const. *Sapienti Consilio*, 29 iun. 1908) est innovatum. Quo tamen vel speciem minoris erga Ecclesiam Orientalem aestimationis removeat, BENEDICTUS PP. XV Const. « *Dei Providentis* » novae *Congregationi pro Ecclesia Orientali* plenam tribuit independentiam eique magnum honorem confert quod ipse R. Pontifex eius Praefectus designetur.

Novi coetus competentia non mutatur. Silentio Constitutionis nihil detrahi censemus sententiae D. Monin [2] qui negotia Orientalium pro foro interno ad S. Paenitentiariam pertinere arbitratur. I. C., s. I.

9. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

MOTU PROPRIO 15 OCT. 1917

De instituto pontificio studiis rerum orientalium provehendis (A. A. S. 2 nov. 1917, 9, 531)

BENEDICTUS PP. XV

Quo melius proposita S. Pontificis de Ecclesia Orient. impleantur

Orientis catholici ad spem veteris prosperitatis excitandi causa, mense maio vertentis anni Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali instituimus. Sed quod habemus propositum certe eveniet facilius uberiusque, si, qui in eo persequendo Nobis navaturi sunt operam, illi optime parati instructique ad laborandum devenerint. Itaque proprium altiorum studiorum domicilium de rebus orientalibus in hac Urbe, christiani nominis capite, condere decrevimus, idque et omni apparatu, quem huius aetatis eruditio postulat, ornatum, et doctoribus, in uno quoque genere peritissimis Orientisque perstudiosis insigne : in quo quidem Latini primum sacerdotes qui apud Orientales sacrum ministerium obire voluerint, congruenti, quae omnes numeros habeat, institutione formentur. Haec porro studiorum domus pateat etiam Orientalibus tum unitis tum

institutum fundatur in quo studiis sacris orientalibus vacare possint tum latini tum graeci uniti et orthodoxi.

[1] Cf. *Collect. S. C. de P. F.* I. n. 1223. BANGEN, J. H., *Die römische Curie*, p. 255 sq. p. 266.

[2] Cf. MONIN, A. *De curia romana*. Lovanii, 1912, p. 285.

orthodoxis qui appellantur : illis quo ordinarium doctrinae curriculum harum disciplinarum accessione perficiant ; hi vero ut possint, omni praeiudicata opinione deposita, veritatem penitus perscrutari. Volumus enim ibi doctrinae catholicae simul et orthodoxae una pariter procedat expositio, ut cuivis sui iudicii viro evidens fiat quibus e fontibus utraque manaverit, ex Apostolorumne praedicatione, Ecclesiae perenni magisterio ad nos tradita, an aliunde.

Quod igitur rei christianae in Oriente bene vertat, Nos Motu proprio constituimus et sancimus :

1. Institutum erigitur

I. Institutum studiis rerum orientalium provehendis Romae esto, quod, praecipua sub vigilantia curaque Summi Pontificis positum, pontificii titulo decoretur.

2. et S. C. pro Eccl. Orient. subditur.

II. Illud S. Congregationi pro Ecclesia Orientali proxime subiectum erit, per eamque Nobis ac Nostris successoribus.

3. Eius sedes indicatur.

III. Propria distinctaque sedes Instituto erit in iis prope Vaticanum aedibus, ubi « Hospitium de Convertendis » vulgo dictum, usque adhuc fuit : id quod fieri volumus sine ullo detrimento ipsius Hospitii.

4. Disciplinae traditae.

IV. Hae in Instituto tradantur disciplinae :

a) Theologia orthodoxa quae varias orientalium christianorum de divinis rebus doctrinas attingat, cum praelectionibus de Patrologia orientali, de Theologia historica ac de Patristica

b) Ius canonicum omnium Orientis christianarum gentium

c) Multiplex Orientalium Liturgia

d) Byzantii Orientisque reliqui Historia tum sacra tum civilis : cui praelectiones accedent, de Geographia ethnographica, de Archeologia sacra, de Constitutione earum gentium civili et politica

e) Litterae sermonesque Orientalium.

5. Duratio studiorum, cursus.

V. Horum omnium studiorum cursus biennio conficiatur.

6. Auditores.

VI. Scholas Instituti frequentabunt sacerdotes ex latino ritu qui in Oriente sacrum ministerium obituri sunt : easdem frequentare licebit non modo clericis nostris orientalibus, sed etiam iis orthodoxis qui sint veritatis altius inquirendae cupidi.

7. Bibliotheca.

VII. Ne quid autem adiumenti ad studia ibidem desit, Instituto bibliothecam adjungimus bene apparatam cum a librorum delecta copia, tum a scriptis periodicis quae ad rem pertineant.

Clausulae.

Quae vero hic a Nobis constituta sunt, ea in perpetuum valere iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Dies (15 Oct. 1917).

Datum Romae apud S. Petrum, die XV mensis octobris MDCCCCXVII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS Pp. XV.

Annotationes

Quod opus Urbanus VIII condendo celeberrimo « Collegio Urbano » seu de Propaganda incoeperat (Const. *Immortalis Dei Filius*, 1 aug. 1627) [1], Benedictus XV fundatione « Insti-

[1] Cf. de Martinis, R., *Ius pontif. de Prop. Fide*, t. I, p. 87.

tuti studiis rerum orientalium provehendis » praeclare auget. Alius tamen utrique domui finis assignatur : in illo enim collegio clerici saeculares convictores, ad virtutes missionariis necessarias informantur, documentis practicis instruuntur et occasionem nanciscuntur studia sua in Urbis Universitatibus Collegiisque perficiendi ; in hac studiorum domo alumni utriusque cleri, immo et orthodoxi qui vocantur, omnes disciplinas quae sacram doctrinam, mores, linguas Orientis christiani spectent docebuntur. I. C., s. I.

10. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 22 OCT. 1917

Ad R. P. Flav. Prat, ob saecularem annum sodalitatis SS. Cordium Iesu et Mariae, cui praepositus est.
(A. A. S. 1 dec. 1917, 9, 562)

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. **Exorientem istam sodalitatem** amplissimis laudibus decessor Noster, f. r. Pius VII merito prosecutus est ; eiusmodi enim, legifero patre praeeunte, actuosae caritatis documenta iam dederant sodales, ut difficile non esset futura Instituti documenta conicere.

Nunc autem, centesimo appropinquante laetabilis eventus anniversario die, libenter nos eas laudes iteramus ; siquidem longe auctior ante oculos versatur religiosorum familia, eaque huius saeculi spatio clarissimis nobilitata factis, clericos conformando, pueros recte instituendo, pro salute animarum domi forisque atque in ipsis barbariae finibus allaborando. Idque eo libentius quod haec tanta in christianam societatem promerita non aliter quam Apostolicae huic Sedi obsequendo adeptos vos esse comperimus. Perseverate igitur in proposito ; non enim meliora sunt tempora quam cum, in summa rerum omnium perturbatione, Ecclesiae ac civitatis resarcire damna, praesertim in Gallia, tantopere contendistis. Nec vero ubertatem fructuum optimorum umquam desiderabitis, dum ardens et assiduus SS^mae^ Eucharistiae cultus studia exacuerit vestrae caritatis.

Atque auspicem caelestium munerum Nostraeque erga vos propensissimae voluntatis testem, apostolicam benedictionem, tibi, dilecte fili, et omnibus quibus praees sodalibus amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXII mensis octobris MCMXVII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS Pp. XV.

11. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 27 DEC. 1917

Ad R. M. Angelam a Nostra Domina, Virginum Ursulinarum unionis romanae Antist. Gen., a° trecentesimo exeunte a fundata ea familia

(A. A. S., I febr. 1918, 10, 57)

Dilecta in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem. — **Natalis trecentesimi** a constituto Ursulinarum religioso Ordine commode incidit in hanc luctuosissimam tempestatem sollemnis celebratio. Constat tantorum malorum causam ex eo potissimum natam esse quod a praeceptis institutisque christianis, quae ipsa sunt civitatum fundamenta, nimis multi privatim publice recesserunt. Iam diu quidem, sed maxime post illam gallicarum rerum conversionem, id impense agebatur ut benefica virtus Ecclesiae, sensim in angustiorem coacta campum, iam nihil demum in hominum societate valeret : in primisque data est opera ut muliebris sexus a materna se Ecclesiae cura et vigilantia subtraheret. Namque ad fortunam humani generis mirum quantum in utramque partem femina potest ; quae si vulgo de via deflexerit, omnis et domestica et civilis disciplina facile convellitur. Itaque videre licuit, remota religione, institutas mulieres omnem simul cum pietate verecundiam ponere ; nec paucas esse quae, nimium dantes alienis a sua natura studiis, masculos prorsus agendi modos induerent, quaeque, deserentes domestica officia, quibus factae essent, temere in medium vitae certamen se conicerent. Hinc illa deploranda morum perversitas, quam quidem ipsius belli licentia incredibiliter auxit latissimeque propagavit. Huic vos rerum omnium perturbationi, quantum erat in vobis, obstitistis, rite puellas ad christianam sapientiam educando : et magna sunt ac praeclara hoc in genere vestra, Deo adiuvante, promerita. Iam vero futurum ut ex hac immensitate ruinarum novus quidam emergat rerum ordo in quo christiana iustitiae caritatisque principia dominentur, omnino de divina benignitate confidimus. Ad quam instaurationem ordinis omnes boni debebunt aliquid pro sua quisque parte conferre ; vosque, ea recolentes quae usque adhuc gessit vestra sodalitas, vel acriore studio ad institutum incumbite, id est ad mentes animosque ita conformandos puellarum, ut christiana professione dignae matresfamilias exsistant. Nos autem istius fausti eventus et sollemnitatem augentes et fructum, concedimus ut qui in vestris templis aut sacellis, vel triduanae supplicationi vel alii sollemni sacro in hanc rem indicto interfuerint, omnes — non modo vestrae familiae sodales et alumnae, sed quotquot se vobis adiunxerint — plenariam peccatorum Indulgentiam et remissionem, usitatis condicionibus, lucrentur. Ac caelestium auspicem donorum, paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecta in Christo filia, et cunctae cui praees Ursulinarum familiae, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVII decembris MCMXVII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS Pp. XV.

12. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 4 MART. 1917

Ad R. P. Leon Vossen, S. I., moderatorem pontif. Seminarii Kandiensis, a° XXV exeunte a seminario condito (A. A. S. 1 apr. 1918, 10, 135)

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — **Ad afferendum** gentibus, quae divinae redemptionis beneficium ignorant, lumen Evangelii, ea velut compendiaria via est delectos ex ipsis adulescentes rite educare, qui deinceps apud populares suos apostolico munere fungantur. Non enim suspicionem dant, ut alienigenae solent; quin immo, ob rationes amicitiarum ac necessitudinum, faciles usquequaque habent aditus, atque ipsa sermonis generisque communitas gratiam eis fidemque conciliat. Peropportune igitur decessor Noster f. r. Leo XIII abhinc annis xxv istud Kandiense Seminarium condidit alumnis indis in Indiae salutem instituendis: et praeclare usque adhuc res successit. Scimus enim ex isto pietatis studiorumque optimorum domicilio non paucos iam prodiisse sacerdotes sacrorumque antistites aliquot, eosque ad apostolatum egregie instructos ac prorsus Societatis Iesu disciplina dignos. Hisce de fructibus salutaris instituti Nobis gaudentes vobisque gratulantes, magnas Deo grates agimus: quaesumusque ut tibi tuisque in hac re adiutoribus adesse perseveret. Nos certe opus vestrum tueri numquam desistemus: cui quidem omnes ex India Episcopos velimus suffragari, hoc sibi persuadentes satis se suo satisfecisse officio cum sanctam cleri indigenae curaverint institutionem. Ac caelestium auspicem munerum et peculiaris benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, atque omnibus istius Seminarii magistris et alumnis apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die IV mensis martii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS Pp. XV.

---

13. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

ACTA SUMMATIM RELATA

A. *Ordinatur exercenda iurisdictio in ecclesia S. Mariae Angelorum in Portiuncula* (A. A. S. 1 dec. 1917, 9, 561).

Iurisdictio in exemptam eccl. S. Mariae Angelorum in Portiuncula.

Ecclesia S. Mariae Angelorum in Portiuncula a Pio X ad dignitatem Basilicae Patriarchalis et Capellae Papalis evecta est.

Itaque ad exercendam Pontificiam iurisdictionem Pontifex delegat Card. litteris in forma brevis 21 nov. 1917, Protectorem Ordinis Fratrum Minorum. Si ipse Pontifex hanc protectionem sibi reservarit, curam basilicae committet Cardinali Legato. Protectoris vel Legati Vicarius erit Minister Provincialis, incolumi Ministri Generalis iure.

B. *Institutis paroeciae Urbanae SS. Cordis Iesu pro animabus igne purgatorio expiandis* (A. A. S. 2 ian. 1918, 10, 5).

Nova Urbis paroecia.

Bulla *Apostolicis Litteris* 10 dec. 1917, S. Pontifex paroeciam regularem novam in « Prati di Castello » erigit sub titulo *SS. Cordis Iesu pro animabus igne purgatorio expiandis*. Amplis clausulis omnem exceptionem excludit, v. g. ex eo quod interesse habentes auditi non fuerint.

C. *Capitulo et clero S. Blasii et Aegidii in oppido « Palombara Sabina » novae leges dantur* (A. A. S. 1 mart. 1918, 10, 84).

Leges duarum ecclesiarum Sabinae.

Expositis causis propter quas novae leges desiderabantur S. Pontifex, litteris in forma brevis 3 feb. 1918, ecclesiae collegiatae S. Blasii, in oppido « Palombara Sabina » quam a° 1853 Pius IX in archipresbyteralem erexerat, novae leges potissimum de capitulo promulgantur. Simul statuitur quomodo bono servitio utriusque ecclesiae paroecialis S. Blasii et S. Aegidii provideatur.

D. *Sermo a S. Pontifice habitus a° 1918 ad parochos et quadragesimales in Urbe concionatores* (A. A. S. 1 mart. 1918, 10, 92).

Sermo Quadragesimalis.

In sermone isto, qui argumento et modo dicendi affinis est encyclicae de Praedicatione, S. Pontifex, dignitatem ministerii verbi Dei inde repetens quod est continuatio operae I. C., hoc pulcherrimis verbis inculcat, omne et solum evangelium esse praedicandum.

E. *Litterae de dioecesibus exigendis, mutandis, etc.*

1. *Novae dioeceses* eriguntur per bullam, de consulto S. Congr. Consistorialis, extra loca subiecta S. Congr. Propagandae Fidei ; in locis huic subiectis, ex eius voto eriguntur per litteras in forma brevis.

20 *iul.* 1917 (*A. A. S.* 1 *oct.* 1917, 9, 481).

Per Bullam, erigitur, in Anglia oppidum Brentwood in episcopalem civitatem novae dioecesis quae ex provincia civili cui nomen *Essex*, distracta a dioecesi Westmonasteriensi constituta erat. Prius, ne res differretur, administrator apostolicus nominatus erat, donec de sede cathedrali et aliis determinandis opportuna consilia sumerentur. Administrator Bern. Ward a sede titulari ad illam sedem transfertur.

17 *ian.* 1918 (*A. A. S.* 1 *mart.* 1918, 10, 81).

Per Bullam, *restituitur*, in Lusitania, *dioecesis Leiriensis* a Paulo III, 22 maii 1545 [1] erecta, quae 30 sept. 1881 suppressa erat. Restituuntur paroeciae ; restituitur civitas episcopalis Leiria, et cathedralis. Collegium sex canonicorum constituendum est, si Cardinali patriarchae Lisbonensi id iam opportunum videatur. Secus, dioecesani Consultores ad normam c. 423 ss. eligendi erunt.

28 *iul.* 1917 (*A. A. S.* 1 *sept.* 1917, 9, 424).

In Australia, per litteras intorma brevis, separatise dioecesi Goulbournensi quindecim districtibus paroecialibus, erigitur nova dioecesis *Wagga-Wagga*, in Statu Novae Galles Meridionalis. N. B. Mentio archidioecesis cuius suffraganea sit desideratur.

2. *Nova Provincia ecclesiastica.*

28 *iun.* 1917 (*A. A. S.* 1 *feb.* 1918, 10, 49).

Per Bullam, in latissima Basiliae provincia Mariannensi. Sedes Adamantina in Metropolitanam erigitur, et huic, tamquam suffraganeae assignantur dioeceses Montisclarensiset Arassuatryensis, separatae a Mariannensi metropoli.

---

[1] In A. A. S. quingentesimi legendum est pro quinquagesimi, p. 81, l. 5.

3. *Mutationes finium vel nominum.*

Per Breve, duodecim paroeciales districtus ab archidivensi Sydonyensi in Australia seprarantur et Goulbournensi dioecesi annectuntur. 28 *iul.* 1917 (*A. A. S.* 1 *sept.* 1917, 9, 425).

Per Breve, sex districtus, separati a dioecesi Bathurstensi in Australia, adiunguntur dioecesi Wilcanniensi, quae deinceps *Wilcannia-Forbes* vocabitur. Episcopus praeterea duplicem residentiam sex mensium habere iubetur : alteram in veteri sede Broken-Hill, alteram in civitate Forbes. 28 *iul.* 1917 (*A. A. S.* 1 *sept.* 1917, 9, 427).

4. *Privilegium pallii.*

Per Bullam comeditur episcopo Carnutensi (Chartres) et successoribus pallii usus in solo dioecesi Carnutensi et non alibi etiamsi consensus Ordinarii loci accedat. Memorantur memorabilis istius sedis : Ivo Carnutensis, quattuor concilia, celebris ecclesia cathedralis, quae aedificata fertur super crypta in qua Virgini Parichenae cultus exhibitus est, collegium 90 canonicorum quo ante gallicam eversionem ornata erat. 15 *nov.* 1917 (*A. A. S.* 1 *feb.* 1918, 10, 52).

F. Litterae de Vicariatibus et Praefecturis apostolicis erigendis, etc.

Novi Vicariatus Apostolici erecti per litteras in forma Brevis.

Negotium istud peractum memoratur de consiliis Card. negotiis Prop. Fidei praepositi, si, ut plerumque, in loco Prop. Fidei subiecto, Vicariatus erigendus est ; aliter, auditur Em^us Cardinalis Secretarius S. Congr. Consistorialis, qui, mendo quodam, in Litteris quibus erigitur vicariatus « De Beni » (A. A. S. 10, 9), vocatur S. C. Consistoriali Praepositus. Interdum S. Pontifex expresse vult ut Vicarius Apostolicus (sicut solet) sit episcopali charactere insignitus.

Vicariatus Apostolicus de Kassai Superiore, ex praefectura eiusdem nominis, concreditur Missionariis Instituti Immaculati Cordis B. M. V. de Scheutveld. 13 *iun.* 1917 (*A. A. S.* 1 *aug.* 1917, 9, 370).

Vicariatus Apostolicus de « Bahr-el-Gajal », ex Praefectura eiusdem nomine. 13 *iun.* 1917 (*A. A. S.* 1 *aug.* 1917, 9, 371).

Vicariatus Apostolicus « De Beni » ex praefectura De Beni et additis quibusdam regionibus Fratribus Minoribus est concreditus. Hinc Vicariatui assignatur sedes, nempe civitas quae vulgo dicitur « Trinidad ». 1 *dec.* 1917 (*A. A. S.* 2 *ian.* 1918, 10, 9).

Vicariatus Borneae hollandicae, ex Praefectura eiusdem nominis quae a 1905 PP. Minoribus Capulatis Provinciae Hollandica est concredita. 13 *mart.* 1918 (*A. A. S.* 1 *maii* 1918, 10, 180).

G. *Litterae de basilicis et ecclesiis.*

Novae Basilicae minores, vel alii honores ecclesiis collati.

Usus Pontificis.

Basilicarum minorum privilegia.

Solet S. Pontifex insignia Urbis et Orbis templa titulo et privilegiis basilicae minoris honestare. Gratia conceditur litteris in forma brevis quibus antiquitas, pretiosae memoriae, supellex, assiduitas cleri laudantur. Litterae dari consueverunt auditis Cardinalibus S. R. Congregationis praepositis. Una cum titulo confertur privilegium deferendi tintinnabulum et conopaeum, cui ecclesiae stemma (non tamen auro vel argento ornatum) addere licet. Itaque

Novae Basilicae.

1. *Basilicae minores declarantur :*

Perantiqua (s. VIII) ecclesia *Tarvisina, Assumptionis B. M. V.* vulgo « La Madonna grande » ubi S. Hieronymus Aemilianus vincula, quibus ope B. M. V. solutus erat, ad Eius altare deposuit. 12 *iun.* 1917 (*A. A. S.* 2 *iul.* 1917, 9, 324).

23 *nov.* 1917 (*A. A. S.* 2 *ian.* 1918, 10, 8).

Ecclesia parochialis *B. M. V. de Mercede*, in urbe *Bonaërense*.

Templum *Napolitanum*, vulgo « *Del Carmine Maggiore* » ubi prodigiosa imago B. M. V. dicta « la Bruna » ex eius colore, ac miraculosa effigies SS. Crucifixi coluntur.

18 *dec.* 1917 (*A. A. S.* 2 *ian.* 1918, 10, 12).

Ecclesia *Montis Senarii*, ubi ortum habuit inclitus Servorum B. M. V. Ordo.

15 *ian.* 1918 (*A. A. S.* 1 *feb.* 1918, 10, 55).

Rhotomagense templum SS. Cordis Iesu, quod vocatur « Le Montmartre de Normandie ».

23 *mart.* 1918 (*A. A. S.* 1 *maii* 1918, 10, 186).

2. *Alii honores.*

Neapolitanum sanctuarium Perdolentis Virginis, cuius antea iam confirmaverat titulum, usu receptum « Parvi Sanctuarii Mariae Virginis Pernolentis vulgo « al Fiumicello » S. Pontifex *Pontificii* cognomine perpetuo decorat.

18 *ian.* 1916, (*A. A. S.* 1 *feb.* 1917, 9, 58).

H. *Litterae de archisodaliciis.*

Pia sodalicia quae sui iuris sunt et satis florere videntur obtinent per litteras in forma brevis qualitatem societatis primariae vel archisodalicii, cum facultate aggregandi, servatis servandis, alias sodalitates eiusdem nominis et tituli, sive in certa dioecesi, provincia, etc. sive in universo Orbe, et communicandi cum aggregatis indulgentias ipsis ideo concessas.

In litteris notari consuevit rem a Pontifice decerni ex voto et suffragio S. C. Concilii. Id autem satis mirum observandum est Eminentissimos Patres non semel in his actis vocari nomine sollemniore quod ante C. *Sapienti consilio* habebant. Pluries enim vocantur : « S. R. E. Cardinales decretis Tridentini Concilii interpretandis » quod nomen obsoletum Pius X dicta Constitutione converterat in brevius *S. Congregatio Concilii*. Cf. C. *Sapienti*, 29 iun. 1908 (*Periodica*, t. 4, p. 225).

In archisodalicia eriguntur :

24 *april.* 1917 (*A. A. S.* 2 *iul.* 1917, 9, 321).

Pro dioecesi Bergomensi, *Bergomensis* mulierum sodalitas, titulo *B. M. V. et S. Vincentii a Paulo* (vulgo, *Conferenza*). Simul indulgentiae prius iam concessae renovantur.

25 *oct.* 1917 (*A. A. S.* 2 *nov.* 1917, 9, 531).

Pro universo Orbe, sodalitas *Sacratissimi Cordis Iesu pro piandis animabus in purgatorio igne detentis*, in Urbis loco dicto *Prati di Castello*, ubi cura prius sacerdotis Victoris Iociet, ac subinde missionariorum a Sacratissimo Corde Iesu, provinciae italicae, erectum est templum *Sacratissimo Cordi Iesu pro piandis in purgatorio igne detentis animabus* dicatum. Simul Pontifex indulgentias et privilegia largitur. (Omissa S. Concilii Congregatione, auditus hic est Card. Maior Paenitentiarius). In litteris suis S. Pontifex commendat indulgentiis ditatum usum recitandi prima noctis hora Ps. *De Profundis*, vel *Pater* et *Ave* cum precibus *Requiem aeternam*.

14 *dec.* 1917 (*A. A. S.* 2 *ian.* 1918, 10, 10).

Pro dioecesi Crucensi, sodalitas *Filiarum Mariae*, in templo Cuncensi S. Ambrosii, ab a° 1742 canonice erecta. Simul indulgentiis ditatur.

28 *ian.* 1918 (*A. A. S.* 1 *apr.* 1918, 10, 129).

Pro universo Orbe, sodalitas *a S. Gerardo Maiella*, canonice erecta in ecclesia Matris Domini oppidi *Caposele*, Compsanae archidioecesis, ubi corpus S. Gerardi servatur. Rector pro tempore collegii PP. Redemptoristarum moderator sodalicii constituitur.

28 *feb.* 1918 (*A. A. S.* 1 *apr.* 1918, 10, 130).

Pro archidioecesi Edimburgensi, sodalitas in altaris ministerio inservientium, in templo metropolitano Edimburgensi, sub titulo S. Laurentii canonice erecta.

Sodalitas *a Passione Domini* instituta in *Urbe* ad Sancta Sanctorum, in archisodalitatem *ad honorem* seu Primariam erigitur. (Cum ipse Praepositus Generalis Congregationis Passionis D. N. I. C. singulis societatibus indulgentias et privilegia Congregationis communicet, occasio non erat tribuendi Societati Primariae facultatem communicandi indulgentias et privilegia). 26 *feb.* 1918 (*A. A. S.* 1 *maii* 1918, 10, 177).

I. *Litterae de indulgentiis simul et privilegiis.*

Indulgentiae cum aliis privilegiis concessae per litteras in forma brevis.

Indulgentiae plenariae et partiales Societati « *Veritatis catholicae Hiberniae* » quae salutaria et pia scripta modico pretio in vulgus effundit. Ascriptis vel ascribendis sacerdotibus conceditur facultas benedicendi res pias cum applicatione indulgentiarum apostolicarum, applicandi crucifixis indulgentias a via crucis et personale altare privilegiatum bis in hebdomada. Missae pro defunctis sociis sunt pariter privilegiatae. 12 *apr.* 1917 (*A. A. S.* 2 *iul.* 1917, 9, 317).

Indulgentiae plenariae et partiales fidelibus archidioecesis *Neo-Eboracensis* qui ad « *foedus Missae cotidianae* » pertinent. Missae pro defunctis sociis sunt privilegiatae. 26 *iun.* 1917 (*A. A. S.* 1 *aug.* 1917, 9, 374).

Plenariae et partiales indulgentiae sodalitati *Urbanae SS. Cordis Iesu pro piandis animabus in purgatorio igne detentis*. Ipsi templo conceditur indulgentia plenaria cotidiana, cum tribus altaribus privilegiatis. Missae pro defunctis sociis sunt privilegiatae. Sodalitas simul in archisodalicium erigitur. 25 *oct.* 1917 (*A. A. S.* 2 *nov.* 1917, 9, 533).

K. *Litterae de solis indulgentiis.*

Indulgentiarum concessiones per litteras in forma Brevis.

Litterae istae plerumque memorant auditum fuisse tribunal cui provincia ista indulgentiarum commissa est, i. e. antea Em. Cardinales Inquisitores Generales, et, post decretum Motu Proprio *Alloquentes*, 25 mart. 1917 quo omnia quae spectant ad usum et concessiones indulgentiarum ad S. Paenitentiariam translata sunt, Em^um^ Cardinalem Paenitentiarium maiorem. Hac porro sunt concessiones :

Plenariae et partiales pio opere « *Messbund* » quod sub patrocinio S. Fidelis a Sigmaringen exteras missiones Fratrum Minorum Capulatorum sibi iuvare proponit. 14 *april.* 1917 (*A. A. S.* 2 *iut.* 1917, 9, 320).

Plenariae et partiales *Bergomensi* sodalitati *B. M. V. a Pietate et S. Vincentii a Paulo* (Conferenja). 24 *april.* 1917 (*A. A. S.* 2 *iul.* 1917, 9, 321).

Plenaria cotidiana *Granatensi* templo *S. Ioannis de Deo*. 12 *iun.* 1917 (*A. A. S.* 1 *aug.* 1917, 9, 369).

Partialis 300 d. *sodalibus et monialibus SS. Redemptoris* recitantibus precem, quam Pontifex simul approbat, ad Mariam Matrem de Perpetuo Succursu, principalem ipsius Congregationis patronam. 15 *iun.* 1917 (*A. A. S.* 1 *aug.* 1917, 9, 372).

Plenaria et partiatis, *sodalibus Instituti scholarum christianarum* recitantibus precem dictam : « Magistri ante scholam ». 16 *iun.* 1917 (*A. A. S.* 1 *aug.* 1917, 9, 373).

Plenaria visitantibus *Nanceyensem ecclesiam* parochialem *S. Vincentii a Paulo*, in festo S. Vincentii, vel Dominica immediate sequenti. 10 *iul.* 1917 (*A. A. S.* 1 *sept.* 1917, 9, 424).

Plenariae et partiales *sodalitati Filiarum Mariae*, ad S. Ambrosii, in civitate *Cuneensi*. Sodalitas simul in archisodalitatem erigitur. 14 *dec.* 1917 (*A. A. S.* 2 *ian.* 1918, 10, 10).

Plures indulgentiae plenariae (quarem una ad instar Portiunculae), sodalibus societatum *a Passione Domini*. Societas Urbis ad Sancta Sanctorum fit simul archisodalitas ad honorem. 26 *feb.* 1918, (*A. A. S.* 1 *maii* 1918, 10, 177).

1 *mart.* 1918 (*A. A. S.* 1 *april.* 1918 10, 132).

Plenariae et partiales archisodalitati S. Laurentii, in Metropolitano Edimburgensi [1].

22 *mart.* 1918 (*A. A. S.* 1 *maii* 1918, 10, 181).

Plenariae et partiales, sodalitati *Nostrae Dominae a bona mente* diebus quibusdam festis, et *christifidelibus* certas preces ad sanctam mortem obtinendam recitantibus. Sodalitas ista a Presbyteris S. Mariae (de Tincheyray) condita, socias movet ut per merita et preces perdolentis Virginis gratiam perseverantiae vel conversionis et S. mortis sibi et aliis impetrent.

3 *aprit.* 1918 (*A. A. S.* 1 *maii* 1918, 10, 187).

Plenaria *Sororibus Burdigalensibus a sacra Familia* piam exercitationem in honorem sacrae Familiae peragentibus.

14. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM 22 MART. 1918

De consiliis a vigilantia et iuramento antimodernistico

(A. A. S. 1 apr. 1918, 10, 136)

Ob silentium Codicis dubium movetur.

Cum in Codice Iuris Canonici, a proximo die festo Pentecostes obligandi vim habituri, nulla fiat mentio *Consiliorum a vigilantia* et *Iuramenti antimodernistici*, de quibus respective agitur in Constitutione *Pascendi Dominici gregis* et Motu-proprio *Sacrorum Antistitum* s. m. Pii Pp. X., inspecto Codicis ipsius can. 6, n. 6, propositum est dubium : *An praescriptiones ad duo supra memorata capita spectantes, post dictum diem festum Pentecostes, in vigore manere pergant an non?*

Hae praescriptiones de se temporariae adhuc vigent.

Re, iussu Ss^mi^ D. N. Benedicti Pp. XV, feliciter regnantis, ad Supremam hanc Sacram Congregationem Sancti Officii delata, E^mi^ ac R^mi^ DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, in plenario conventu habito feria IV, die 20 martii 1918, expresse declarandum decreverunt : « Praescriptiones praedictas, ob serpentes in praesenti « modernisticos errores latas, natura quidem sua, temporarias esse ac « transitorias, ideoque in Codicem Iuris Canonici referri non potuisse ; « aliunde tamen, cum virus *Modernismi* diffundi minime cessaverit, eas « in pleno suo robore manere debere usquedum hac super re Apostolica « Sedes aliter statuerit ».

Et sequenti feria V eiusdem mensis et anni idem Ss^mus^ D. N., in solita audientia R. P. D. Assessori impertita, relatam Sibi E^morum^ Patrum resolutionem plane approbare ac suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (22 mart. 1918).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 22 martii 1918.

ALOISIUS CASTELLANO, *S. R. et U. I. Notarius.*

ANNOTATIONES

1. Non omnia iuris vigentis praescripta Codice contineri ex hoc decreto et responsis infra citandis comprobatur.

[1] Contra ac decretum est, in litteris istis nomen Sponsi B. M. V. declinatur, cum sermo fiat de « festivitatibus *S. Iosephi* ».

Decretorum enim quae ante Codicis promulgationem sunt edita, non nulla malis quibusdam mederi intendunt, quae ut quam primum cessent in votis est sed infeliciter diutius perdurant. Huiusmodi praescriptiones in Codicem inseri non poterant. Etsi enim lex ad tempus fieri potest, in earum Codicem referre non convenit nisi eas quae saltem per se perpetuae dicendae sint.

Opportunis SS. Congregationum declarationibus docemur his decretis non esse applicandum c. 6, n. 6°. « Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite, nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi, sive naturalis ». I. C., s. I.

N. B. In fine fasciculi recensentur omnes obligationes quae ex documentis hoc decreto relatis oriuntur.

15. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETA SUMMATIM RELATA

Decretum quo opus quoddam damnatur.

D. 18 iul. 1917, Emm. Cardinales Inquisitores opus damnarunt cui titulus : *R. Università degli Studi di Roma.* Prof. Ernesto Bonaiuti, *Storia del Cristianesimo.* Roma 1917. 1 *aug.* 1917 (*A. A. S.* 1 *sept.* 1917, 9, 430).

Quod decretum S. Pontifex d. 19 eiusdem mensis confirmavit ac publicari iussit. Editum est autem d. 1 aug. 1917.

---

16. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

INSTRUCTIO 28 IUN. 1917

Normae pro sacra praedicatione (A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 328)

Ut quae Beatissimus Pater nuper in Encyclicis Litteris *Humani generis redemptionem* de sacra praedicatione docuit ac praestituit ad praxim facilius deducantur, Eminentissimi Patres S. C. Consistoriali praepositi, ipso Summo Pontifice plene approbante, sequentes sancivere normas, quibus R^mi locorum Ordinarii uti debeant ut tuto in re tam gravi procedant ; easque eadem Sanctitas Sua statim exsecutioni mandandas praecipit, quo scilicet quod Apostolus nominat *ministerium verbi* eos afferat fructus in tuitionem ac propagationem fidei christianaeque vitae custodiam, quales et divinus Magister Christus intendit et catholica Ecclesia sibi iure promittit. *Finis instructionis.*

Caput I.

A quibus et qua ratione praedicatores Verbi Dei sint eligendi.

1. R^mi locorum Ordinarii illud ante omnia semper prae oculis habeant, quod Sacra Tridentina Synodus, anteriores praescriptiones innovans ac *Ut mandato Conc. Trid., in*

novo iure confirmato, fiat satis,

perstringens, cap. IV, sess. 24, *De Reform.*, sancit; ubi, postquam monuit *praedicationis munus Episcoporum praecipuum* esse, sic sequitur: *Mandat* (S. Synodus) *ut in Ecclesia sua ipsi* (Episcopi) *per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad praedicationis officium assument; in aliis autem Ecclesiis per parochos, sive, iis impeditis, per alios ab Episcopis (impensis eorum qui eas praestare aut tenentur vel solent) deputandos, in civitate aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem dominicis et sollemnioribus diebus festis..... sacras Scripturas divinamque legem annuntient. Nullus autem saecularis sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat.*

Quod plane in novo ecclesiastico Codice confirmatur can. 1327, 1328 et 1337.

Episcopi munus assumant deputandi omnes praedicatores, iuxta sequentes normas.

2. Cum igitur ad Episcopum loci Ordinarium praedicandi munus praecipue spectet, cumque ad eundem pertineat *assumere* ac *deputare* qui ipsum substituant proque ipso suppleant in hoc gravissimo ministerio, etiam specifice in casu quo praedicationis impensae, aut ex iure aut ex consuetudine, ab aliis sint persolvendae, nullus nec valide nec licite eligere aut advocare contionatorem quempiam etiam pro ecclesia propria; nullusque de clero sive saeculari sive regulari, huiusmodi inventionem[1] licite acceptare poterit, nisi intra limites ac modos in sequentibus articulis statutos.

Parocho et canonico theologo facultas contionandi vi missionis suae competit.

3. Parochi, vi missionis habitae in eorum electione, sicut ad confessiones excipiendas habilitantur, ita etiam facultate contionandi gaudent, salva quidem lege residentiae salvisque condicionibus ceteris, quas Ordinarius necessario vel utiliter apponendas censuerit. Idem de Canonico Theologo dicendum quoad lectiones Scripturae sacrae.

In reliquis casibus omnibus facultas ab Ordinario loci est obtinenda,

4. In reliquis casibus universis, ad praedicandum populo fidelium in publicis templis vel oratoriis, etiam regularium, et a sacerdotibus etiam regularibus, necesse est ut facultas obtineatur ab Ordinario dioecesis.

quae pro ecclesiis variis petenda est

5. Huiusmodi facultas, ad normam eorum quae in Codice praescribuntur can. 1341, § 1 et 2, petenda est:

a prima Capituli dignitate

a) a prima Capituli dignitate, audito tamen Capitulo, pro praedicationibus, quae ex lege vel voluntate Capituli fiant in ecclesia propria;

aut a superiore regulari,

b) a Superiore regulari, servatis respectivi Ordinis vel Congregationis regulis, pro ecclesiis religionum clericalium.

aut parocho,

c) a parocho pro ecclesia parochiali aliisque ecclesiis ab ea dependentibus;

d) et si agatur de parocho ecclesiae spectantis ad Capitulum vel ad Ordinem religiosum, ab eodem parocho pro contionibus quae ab ipso pendent, secluso Capituli vel religionis interventu;

aut sacerdote primicerio vel capellano confraternitatis

e) a sacerdote primicerio vel capellano confraternitatis cuiuslibet pro ecclesia propria;

aut ecclesiae rectore,

f) a sacerdote ecclesiae rectore, quique sacras ibidem functiones de iure peragit, pro omnibus ecclesiis aliarum corporationum moralium non clericalium, aut religionum laicalium, monialium, privatorum.

---

[1] Lege: invitationem.

verbis quae postulationem tantum exprimant.

6. Ad tramitem decisionum S. C. Concilii in *Sutrina*, 8 maii 1688, et in *Ripana*, 21 maii 1707, qui praedictam facultatem postulat, debet tantum contionatoris nomen proponere, idque subordinate ad beneplacitum Ordinarii, qui solus uti potest verbis *eligimus et deputamus ad postulationem* N. N., etc.

Postulatio fiat tempestive.

7. Postulatio ad obtinendum contionatorem aliquem facienda est tempore utili et opportuno, ut Ordinarius commode queat informationes necessarias de eiusdem persona habere (Codic., can. 1341, § 2): hoc autem tempus, generatim loquendo, haud erit inferius duobus mensibus, uti iam statuit S. C. Concilii in *Theanen.*, 19 aprilis 1728 et 30 aprilis 1729; salva tamen Episcopis facultate tempus aliud statuendi etiam brevius pro genere et gravitate praedicationis et pro qualitate contionatoris, dioecesani vel extradioecesani.

Puniendi sacerdotes huius legis violatores.

8. Quicumque, obligatione petendi facultatem posthabita, sacerdotem quempiam ad contionandum invitaverit; itemque sacerdos quilibet, qui tali modo invitatus scienter acceptarit et contionatus fuerit, puniendi sunt ab Ordinario poenis eius arbitrio statuendis, non exclusa suspensione a divinis.

Forma facultatis contionatori extradioecesano.

9. Facultas praedicandi, quando agitur de contionatore extradioecesano, scripto tribuenda erit, designato etiam loco et genere praedicationis, pro quibus concessa fuerit.

Nulla facultas concedatur nisi constet de dotibus contionatoris.

10. Ordinarii, *onerata graviter eorum conscientia*, facultatem contionandi nemini concedent, nisi prius ipsis constiterit de illius pietate, scientia et idoneitate, secundum praescriptiones quae sequenti capite tradentur: si vero agitur de sacerdotibus extradioecesanis vel de religiosis cuiuscumque Ordinis, nisi prius respectivum Ordinarium et Superiorem interpellaverint ac responsionem favorabilem habuerint.

Superiores interrogati sub gravi tenentur cum veritate respondere.

11. Ordinarius et Superior regularis, qui ab alio Ordinario de informationibus interrogati fuerint circa pietatem, scientiam atque idoneitatem ad praedicandum cuiuspiam eorum subditi, tenentur *sub gravi* eas pro veritate tradere, secundum scientiam et conscientiam prout in can. 1341, § 1, novi Codicis praescribitur. Ordinarius vero qui illas recipit, tenetur eisdem se conformare, secretum de acceptis notitiis absolute servando.

Denegatae facultatis causam non indicanda.

12. Ordinarius qui, ob informationes ut supra acceptas aut aliam ob causam, censuerit in Domino contionandi facultatem alicui denegare, sufficit ut id ipsum petenti facultatem significet quin aliud addat, *soli Deo rationem de sua sententia redditurus.*

CAPUT II.

Quo pacto constare debeat de idoneitate contionatoris.

Ad necessariam cognitionem idoneitatis contionatorum acquirendam

13. Generatim loquendo, sicut ad tribuendam sacerdoti cuivis facultatem pro ministerio excipiendi fidelium confessiones, Ordinarii artissime obligantur certitudinem acquirere de eius idoneitate et culpa se innexos reputarent si ad tantum munus admitterent qui moribus foret indignus, vel scientiae debitae defectu incapax; ita et non aliter iidem Ordinarii debent se gerere, antequam aliquem assumant et destinent ad ministerium verbi.

medium ordinarium est examen

14. Medium ordinarium ad dignoscendam cuiuspiam idoneitatem ad praedicationis officium, praesertim quoad scientiam et quoad actionem,

de scientia, actione,

est examen a candidato voce et scripto subeundum coram tribus examinatoribus, qui arbitrio Ordinarii possunt seligi vel inter examinatores synodales vel etiam inter sacerdotes extradioecesanos, aut etiam e clero regulari.

pietate et moribus.

Cognita autem idoneitate quoad scientiam et actionem, vel etiam in antecessum, haud minori studio, immo etiam maiori, inquiret Ordinarius num idem candidatus pietate, honestate morum et publica aestimatione dignus sit qui verbum Dei evangelizet.

Pro examinis exitu idoneitatis, varii limites declarantur.

15. Pro huiusmodi duplicis examinis exitu, poterit Ordinarius candidatum declarare idoneum aut generatim aut pro aliqua solummodo praedicationis specie, ad tempus vel ad experimentum et certis sub condicionibus, aut absolute et non [1] in perpetuum, dando illi *pagellam* praedicationis, ea omnino ratione qua datur pro confessionibus, vel ei facultatem praedicandi simpliciter denegando.

Interdum aliud medium sufficiet,

16. Non prohibentur tamen Ordinarii, in casibus particularibus et per exceptionem, quominus aliquem ad praedicandum, sine praevio examine de quo supra, admittant, dummodo aliis iisque certis argumentis de eius idoneitate constet.

nemini tamen « diploma » honoris aut aestimationis titulo detur.

17. Vetitum tamen absolute esto *diplomata*, ut aiunt, *praedicationis* subditis etiam [2] propriis impertiri, vel subditis etiam propriis sed honoris titulo aut in aestimationis signum.

Omnes religiosi approbationi Ordinarii loci subiacent ad praedicandum in qualibet ecclesia publica.

18. Servata, pro regularibus et religiosis exemptis, eorum Ordinariis facultate deputandi subditos, quos secundum regulas et constitutiones Ordinis noverint dignos et idoneos, conformiter tamen semper ad praescriptiones Codicis, can. 1338, ad praedicandum intra saepta domus religiosae vel monasterii; si tamen destinare aliquem voluerint ad contiones habendas in publicis ecclesiis, *non exclusis Ordinis propriis*, tenentur illum coram dioecesano loci Ordinario sistere ad examen subeundum iuxta superius disposita articulis 13, 14, 15.

Caput III.

Quid in sacra praedicatione servandum sit vel vitandum.

Praeparatio necessaria.

19. Quoniam *sancta sancte tractanda sunt*, nemo praedicationem suscipiat quin digne ac proxime se praeparaverit studio simul et oratione.

Argumentum sit sacrum aut, cum ordinarii licentia, non sacrum sed quod ecclesiam deceat, numquam tamen politicum.

20. Argumenta contionum sint essentialiter sacra (Cod. can. 1347). Quod si contionator alia argumenta tractare voluerit non stricte sacra, semper tamen domui Dei convenientia, facultatem a loci Ordinario petere et obtinere debebit; qui quidem Ordinarius eam numquam concedet nisi re mature considerata eiusque necessitate perspecta. Contionatoribus tamen omnibus de re politica in ecclesiis agere omnino et absolute sit vetitum.

Elogia funebria speciali approbatione indigent.

21. Elogia funebria nemini recitare fas esto nisi praevio et explicito consensu Ordinarii, qui quidem, antequam consensum praebeat, poterit etiam exigere ut sibi manuscriptum exhibeatur.

Commen-

22. Contionator prae oculis semper habeat et in praxim deducat quae S. Hieronymus Nepotiano commendabat: *Divinas Scripturas saepius*

[1] Lege: et in perpetuum.
[2] Lege: non.

lege : immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur... Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Studio autem Scripturarum sacrarum iungatur studium Patrum ac Doctorum Ecclesiae.

datur studium S. Scripturae et Patrum.

23. Citationes ac testimonia scriptorum aut auctorum profanorum sobrietate summa adhibeantur, multoque magis dicta haereticorum, apostatarum et infidelium : numquam vero personarum viventium auctoritates proferantur. Fides et christiana morum honestas non his egent assertoribus ac defensoribus.

Profana testimonia non adducantur nisi valde sobrie nec umquam vivorum.

24. Contionator ne plausus auditorum aucupetur, sed quaerat unice animarum salutem et commendationem a Deo atque Ecclesia. *Docente te in ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrimae auditorum laudes tuae sint* (Hieron. ad Nepotian.).

Ne propria gloria quaeratur,

25 Usus, qui alicubi invaluit, ephemerides vel plagulas typis impressas adhibendi tum ad auditores aucupandos ante praedicationem, tum post praedicationem ad contionatoris meritum extollendum, reprobandus omnino est et damnandus, quovis id praetextu boni fiat. Curent Ordinarii, quantum poterunt, ut ne id usuveniat.

praesertim ex ephemeridibus vel foliis editis.

26. Quoad actionem in contionando nil melius praescribi potest quam quod S. Hieronymus Nepotianum admonebat : *Nolo te declamatorem et rabulam garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum et sacramentorum Dei eruditissimum. Verba volvere, et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est..... Nihil tam facile quam vilem plebeculam et indoctam contionem linguae volubilitate decipere, quae quidquid non intellegit plus miratur.*

Qualis actio debeat esse.

27. Quam ob rem contionator tam in ratiocinatione quam in linguae usu sese communi auditorum captui accommodet ; quoad vero actionem ac recitationem, eam observet modestiam et gravitatem, quae illi convenit qui pro Christo legatione fungitur.

Accomodet se contionator auditorum captui.

28. Caveat item semper ac diligentissime ne sacram praedicationem in quaestum vertat, quaerendo quae sua sunt, non quae Iesu Christi ; ne sit igitur *turpis lucri cupidus* nec vanae gloriolae lenocinio se capi sinat.

Vitet omnem lucri cupiditatem

Numquam vero ex animo permittat excidere quod, secundum Evangelii et Apostolorum doctrinam et Sanctorum exempla, idem Hieronymus Nepotiano suggerebat : *Non confundant opera tua sermonem tuum ; ne cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo haec quae dicis, ipse non facis? — Delicatus magister est qui, pleno ventre, de ieiunii loquitur... Sacerdotis os, mens manusque concordent.*

moribusque suis praedicationem confirmet.

Caput IV.

Cui et quomodo interdicenda praedicatio.

29. Contionatores, qui praescriptiones superiori capite editas neglegant, si emendationis spem praebeant et graviter non offenderint, prima alterave vice ab Episcopo moneantur ac reprehendantur.

Contionatores neglegentes reprehendantur,

30. Si vero emendationem neglexerint aut graviter cum fidelium scandalo peccaverint, Episcopus, ad tramitem Codicis, can. 1340, §§ 2 et 3 :

dein ab officio praedicationis removeantur,

a) si agatur de proprio subdito aut de religioso cui praedicandi facultatem ipse dederit, concessam facultatem, nullo hominum respectu, aut ad tempus revocet aut omnino abroget ;

b) si autem de sacerdote extradioecesano agatur vel de religioso cui non ipse *pagellam* impertiverit, praedicationem illi in dioecesi sua interdicat simulque de re moneat tam Ordinarium proprium quam eum qui *praedicationis pagellam* eidem concessit; in casibus autem gravioribus ne omittat ad S. Sedem referre;

c) poterit etiam Episcopus, immo et debebit pro diversitate casuum, contionatore graviter peccante, coeptam praedicationem ipsi intercipere.

sicut et illi quorum munus, etiam inculpabiliter, inutile aut damnosum esset.

31. Interdici pariter praedicatione oportet, *saltem ad tempus et pro aliquo loco*, quicumque aut pro sua vivendi ratione aut quavis alia de causa, etsi inculpabiliter, publicam bonam existimationem amiserit, ita ut ministerium suum inutile vel damnosum evaserit.

Instituatur commissio vigilantiae

32. Ordinarii dioecesani commissionem vigilantiae pro praedicatione, unus quisque in sua dioecesi, instituent, quae iisdem sacerdotibus componi poterit ac commissio pro examine candidatorum.

et informationes exquirantur.

33. Quia vero nec Episcopi nec commissio vigilantiae adesse ubique in dioecesi poterunt; cum agetur de praedicationibus maioris momenti in locis dissitis, Ordinarii exigent his desuper a Vicariis foraneis vel a parochis informationes peculiares et tutas iuxta normas superius traditas.

Caput V.

De praeparatione remota ad ministerium praedicationis.

Superiores subditos ad praedicationem instituere debent

34. Ordinarii et Superiores religiosorum stricte obligantur proprios clericos ad sanctam salutaremque praedicationem ab ipsa iuvenili aetate formare studiorum tempore, tum ante tum post susceptum sacerdotium.

doctrina, lectione,

35. Curabunt igitur ut dicti clerici, dum sacrae theologiae dant operam, de variis praedicationum generibus doceantur; praeque manibus habeant et gustent exemplaria insignia quae in omni contionum genere Sancti Patres reliquerunt, praeter illa quae in sacris Evangeliis, in Actibus et Epistolis Apostolorum ubique accesserunt.

exercitiis practicis,

36. Studebunt item Ordinarii ut iuvenes instituantur de actione et pronuntiatione in contionibus servandis, ut eam deinde gravitatem, simplicitatem et concinnitatem prae se ferant, quae nihil histrionem sapiat, sed verbo Dei conveniat, probetque contionantem pro animi persuasione et ex corde loqui sublimemque spectare finem, qui ministerio suo est praestitutus.

et eorum ingenium cognoscere satagant.

37. Haec dum in seminariis vel studiorum locis peragentur, Superiores scrutabuntur quod genus praedicationis singulorum alumnorum dispositioni magis respondeat, ut deinde ea super re ad Ordinarium referant.

Etiam post sacerdotium perficienda est institutio

38. Initialem autem institutionem, quam clerici in seminariis vel in studiorum domibus habuerunt, Ordinarii, etiam post sacros Ordines susceptos, perficiendam curabunt.

dum faciliores primo, dein difficiliores contiones committuntur.

39. Quam ob rem, iuxta informationes de uno quoque habitas, eos facilioribus primum ac humilioribus praedicationibus occupabunt et exercebunt, ut in tradenda pueris christiana catechesi, Evangelio breviter explicando, iisque similibus.

Immo nova examina de idoneitate praescribi poterunt.

40. Poterunt demum Ordinarii suis clericis praescribere ut, aliquo annorum spatio, examen de praedicatione in curia quotannis subeant tam voce quam scripto, ea quidem methodo quae ipsis magis probabitur,

conformiter scilicet ad praescriptiones Codicis pro examinibus annuis a clericis subeundis post sacerdotii susceptionem.

Ex S. C. Consistoriali die 28 iunii, in pervigilio SS. App. Petri et Pauli anno 1917. *Dies (28 iun. 1917).*

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Assessor.

Annotationes

I. Observationes generales

1. Praesens instructio sane locum sibi vindicat inter pulchra ista monumenta recentia quibus Apostolica Sedes genuinam sacrarum contionum rationem restituit et inculcat; verum simul ob hanc alteram rationem nostra attentione digna est, quod in adiunctis parum consuetis inexspectata prodiit.

Paucis diebus ante magnificas suas litteras *Humani generis*, 15 iun. 1917, S. Pontifex feliciter regnans, 27 maii 1917, C^e. *Providentissima Mater* promulgaverat novum Codicem canonicum, qui, in suo titulo XX, *De divini verbi praedicatione*, per tria capita seu 24 canones de sacra praedicatione discurrit. Normae porro quas praestituit ad mentem sane encyclicarum litterarum sunt conscriptae, ita ut istae litterae viderentur nobis principia docere quorum canones erant practica corollaria. Mox tamen post praefatas litteras, S. C. Consistorialis, plene probante Summo Pontifice, idem praedicationis argumentum fusius tractavit praesenti monumento quod inscribitur: *Normae pro sacra praedicatione*. Quae normae non ignorant praescripta Codicis, cum plures eius canones de praedicatione allegent; pro fine tamen habent, non ut Codicis canones illustrent vel urgeant, sed ut encyclicae litterae « ad praxim facilius deducantur » (Cf. Introductionem). Quamvis autem post Codicem promulgatae sint, ante Codicem nihilo minus vigere coeperunt, cum expressa Pontificis voluntate, ipsae *statim*, canones autem solum a 19 maii 1918, vim obligandi habuerint.

2. In primis autem tria menda typographica corrigenda sunt: Capite I. n. 2, 2^a linea paenultima, « inventionem » *corrige* « invitationem » — c. 2, n. 15, linea 4^a, *delenda* est vox « non » ante « in perpetuum ». — Eodem cap. n. 17, lin. 2^a pro « etiam » *lege* « non ». (Fortasse, casu quopiam, vox « non », quae pertinebat ad n. 17 substituta est in locum vocis « etiam », quae ad n. 15 pertinebat). Menda autem haec esse probat versio italica quae in Acta Ap. Sedis statim Instructioni latinae subicitur.

3. Haec autem videtur magis opportuna commentariorum ratio, ut prius praescripta Instructionis cum Codicis canonibus comparemus, et dein pauca dubia vel quaesita solvere conemur.

II. Comparatio Instructionis et Codicis

1. *Quid Instructio, quid Codex contineant.* — Quinque capitibus in quae divisa est, *Instructio* agit : a) De praedicatorum electione quam locorum Ordinariis defert quia praedicandi munus est episcopale ; b) De modo quo idoneitas constare debeat ; c) De rebus procurandis et vitandis in praedicatione : d) De sanctionibus et vigilantia exercenda ; e) De remota praeparatione contionatorum.

Ab eodem principio exorsus, *Codex* ipse agit : a) De auctoritate quae facultatem contionandi tribuit ; b) De modo facultatem concedendi ; c) De materia contionum et modo contionandi. In ipsis canonibus agit quoque de sanctionibus. De remota praeparatione Codex tacet. Codex autem, speciali capite tractat de catechetica institutione ; magis ex professo quam Instructio contiones quae religiosis fiunt ipse ordinat ; et rigorem quarundam regularum temperat ; ut cum monet episcopum ne facultatem praedicandi praesentatis a Superiore religioso, sine gravi causa, deneget ; atque eidem commendat ne facultatem collective revocet. Codex quoque distincte definit quae contiones et a quibus fieri debeant ; denique praecipit ut fideles ad frequentandas contiones sacras excitentur.

2. *De capite I, seu de electione praedicatorum.* — Memorato decreto Tridentino, quo praedicationis munus episcopis principaliter addicitur, ita ut ceteri sint quasi eorum instrumenta, Instructio agnoscit quidem facultatem praedicandi quae parochis et scripturam exponendi quae canonico theologo vi muneris competit ; sed in omnibus publicis ecclesiis et oratoriis, etiam regularium, atque ipsis contionatoribus regularibus necessariam esse dicit facultatem Ordinarii loci (n. 2, 3, 4).

Ipse *Codex* licentiam istam universaliter requirit ; ac sic derogat iuri praecedenti, quod regularibus in propriis ecclesiis non imponebat nisi benedictionem ab episcopo petendam, et oboedientiam episcopo si is praedicationem positive vetaret. Dein (quod Instructio confirmat c. 2, n. 18) Superioribus regularibus et religiosis exemptis religionum clericalium regendas committit contiones habendas religiosis et personis de familia (c. 514). Apud moniales exemptas, facultas proprii Superioris regularis ad facultatem episcopi accedere debet ; in religione autem laicali exempta, approbatus contionator facultate episcopi uti nequit sine Superioris religiosi assensu. Contionatori autem religioso licentia proprii Superioris semper est necessaria. Religiosis demum a Superiore praesentatis licentia per se concedenda est, salva tamen examinis probatione consueta.

b) Art. 5-8, *Instructio* agit de contionatoris *invitatione*.

Ad quosnam spectet invitatio. *Instructio* istud definit fere sicut *Codex* c. 1341, 2, 3. Ex *Codice* tamen prima dignitas capituli consensu capituli opus habet, dum ex art. 5 Instructionis, capitulum audiri tantum debet.

Instructio praeterea formulam qua petitio fieri debet definit : petens non potest nisi nomen contionatoris proponere ; solus Ordinarius verbis « eligimus et deputamus » uti potest. Determinat quoque bimestre tempus vel illud quod episcopus definierit, tamquam illud quod inter petitionem et contionem intercedere debeat ut petitio *tempestive* (quod exigit *Codex*) facta sit. Tandem puniendum dicit tam illum qui sine facultate quempiam invitaverit quam contionatorem qui, conscius omissae facultatis, praedicaverit.

Modus dandae facultatis art. 6-12 *Instructionis* exhibetur. Sacerdoti extradioecesano facultas scripto danda est, designato quoque loco et genere praedicationis permissae. — Ante quam facultas concedatur, de idoneitate personae constare debet. Quare, cum agitur de sacerdote extradioecesano vel religioso cuiuscumque Ordinis, responsum favorabile a respectivo Ordinario vel Superiore prius habendum est. Ordinarius et Superior religiosus informationes pro veritate sub gravi tradere debent. His autem Ordinarius informans se conformare debet ; atque secretum de informationibus absolute servare tenetur. Si autem iudicaverit facultatem denegandam esse, rationem denegationis nequaquam reddere debet.

Codex c. 1341, § 1, interrogationem proprii Ordinarii vel Superioris pro iis tantum exigit, quorum episcopus idoneitatem aliunde compertam non habeat. Ac sic putamus ipsam Instructionem intellegi posse propter receptum istud, quod inutilia non sunt facienda. Si petatur R. P. Janvier : quisnam Ordinarius Parisios scribendum putet vel ad Superiores Fratrum Praedicatorum pro informatione ? — *Codex* quoque graviter conscientiam onerat eorum qui interrogantur ut secundum veritatem respondeant. Minus formaliter postulat ut Episcopus ad informationes Ordinarii proprii se accommodet.

3. *De capite II : Quo pacto idoneitas constare debeat.*

Aeque certa esse debet praedicatoris et confessarii idoneitas. Hoc principium ponitur art. 13 *Instructionis*. — Artis. 14. 16, examen de scientia et actione coram tribus examinatoribus et informationes de reliquis dotibus tanquam medium ordinarium investigationis praescribitur.

Pro examinis exitu, facultas plus vel minus ampla concedetur. — Art. vero 17 absolute vetatur ut diploma praedicationis vel honoris causa vel non propriis subditis tribuatur.

Diploma istud est quidpiam distinctum a simplici pagella qua facultas praedicandi conceditur. Potius cum diplomate quo gradus academicus confertur comparari potest. Per ipsum in certis Ordinibus, namque in curiis dioecesanis usus iste nusquam fortasse habetur, nomen et titulus praedicatoris tribuitur : qui tamen titulus a nulla licentia petenda eximit. Nihilo minus extraneus seu non subditus qui illud consecutus sit inde gloriari possit ad sententiam proprii episcopi infirmandam vel despiciendam. Putamus ergo integrum esse Ordinariis ut bene notis et a proprio Superiore approbatis sacerdotibus facultatem generalem dent, quamvis sint extranei, sicut pagella confessionis extraneis quoque concedi consuevit. *Codex,* c. 1342, monet tantum ne facultas regulariter detur nisi sacerdotibus et diaconis ; penitus autem arcet laicos, etiam religiosos, a contionibus ecclesiarum.

Art. 18 *Instructionis*, quo facultas quam Codex exemptis tribuit agnoscitur, simul necessitatem examinis pro his quoque inculcat, cum in ecclesia publica praedicatur. Ipse Codex examen regulariter postulat c. 1340. Collato tamen c. 1339, insinuare videtur fas esse episcopo ut examine a Superiore ordinario contentus sit. Nec Instructio contradicit. Episcopus ab ipsis examen exigere potest sed non debet.

4. *De capite III Instructionis : Servanda et vitanda.* — Hoc capite, praeparatio, materia, argumenta, modus, finis, confirmatio contionis, ordine attinguntur.

Art. 15 praeparatio exigitur proxima, digna et supernaturalis : studio et oratione. — Ex art. 16, argumenta sacra esse debent, ita ut res politicae absolute excludantur ; alia, convenientia tamen domui Dei, ab Ordinario post maturam considerationem permitti possint : v. g. collatio de opere sociali. Hodie res sunt politicae quae simul, ob respectum religiosum, in ecclesia interdum tractari poterunt et debebunt: utputa officia quae ius suffragii civibus imponit. — Sine praevio et explicito assensu Ordinarii elogia funebria fieri prohibentur. Cautio illa sumitur, quia, in Italia praesertim, demonstrationes politicae, ista occasione, timendae sunt. Ubi tale periculum afuerit, possit Ordinarius, modo generali, definire quaenam elogia ab ipso permittantur. Prohibitio ista omnes, etiam non clericos afficit ; in loco tamen sacro vel in sacra functione.

Divertens ad rationes quibus contio confirmanda et texenda est, *Instructio* vult art. 22-23, ut sermo presbyteri scriptura conditus sit, ac proin ut contionator assiduus sit in studio S. Scripturae et Patrum. Contra, profanae auctoritates maxima sobrietate adhibendae sunt, maxime si extra Ecclesiam sint : numquam tunc auctoritates viventium personarum allegentur.

Ex art. 24. 25, non plausus auditorum, sed animarum salus et commendatio apud Deum et Ecclesiam quaerendae sunt. Quare, sive ante sive post contionem, reprobatur id quod dicitur « réclame ». — Quare, ex art. 26. 27, fugienda quoque est actio declamatoria ; fugiendus modus qui mere admirationem oratoris provocet. Sermo sit captui auditorum accommodatus, modestus et gravis. — Nec proprium quaestum nec propriam gloriam ambienda esse, art. 28 monemur. Exemplo vitae dicta confirmentur (art. 29).

Codex canonicus, c. 1347 § 1. 2, paucis verbis eleganter eadem commendat, quod ad materiam, argumenta et finem attinet ; ac positive addit, ut credenda et facienda ad salutem in primis exponantur.

5. *De capite IV seu de sanctionibus* (art. 29-33). — Primo ab episcopo monendi et reprehendendi sunt contionatores qui praescripta neglexerint. Si non se emendaverint aut cum scandalo peccaverint, facultas ad tempus revocanda est aut abroganda ; vel, si agitur de non subdito, praedicatio prohibenda est et monendus proprius Ordinarius et qui pagellam dederit. In casu graviore, ipsa S. Sedes certioranda est. Licet quoque episcopo, si casus id ferat, coeptam praedicationem intercipere. — Ei quoque qui, culpando vel inculpando modo, publicam existimationem amiserit, praedicatio, saltem in certo loco vel ad certum tempus, interdicenda est. — Si praedicationes maioris momenti in locis dissitis habeantur, Ordinarii informationes a Vicariis foraneis et a parochis petere debent.

Codex quoque, c. 1340, praevidet revocationem licentiae ob deficientes dotes ; ac vult ut in dubio aptitudo etiam novo examine demonstretur, permittendo recursum in devolutivo contra revocatam facultatem. — Ex c. 1347, qui errores vel scandala disseminet arcendus et puniendus est ; si haereses sparserit, ad normam iuris contra ipsum agendum est.

6. *De capite V, seu de praeparatione remota.* — Art. 34-39 commendationes de praeparatione remota contionatorum continentur, quatenus ab Ordinariis et Superioribus curanda est. Ipsis permittitur ut clericis per aliquot annos examen annuum voce et scripto in curia subeundum imponant (art. 40).

Codex istam praeparationem silentio praetermittit ; sed c. 1348, vult ut fideles moneantur ut sacris contionibus frequenter intersint.

III. Varia dubia solvuntur

1. Quia *instructio* est et non lex proprie dicta, bene cum Codice concurrere potest ; nec quaestio ista movenda est utrum Codex praeferendus sit quia post Instructionem vigere

coeperit, an potius Instructio, quia post Codicem promulgata sit. Natura enim sua legis proprie talis, Codex semper praevalet. Ceterum unica contrarietas inter Instructionem et Codicem a nobis deprehensa est. Codex vult ut prima capituli dignitas contionatorem petat capitulo assentiente, ubi Instructio ponit « audito capitulo ». Dicemus itaque consensum capituli necessarium esse.

2. Ex ipso titulo et exemplis allatis contionum quae ad moniales habentur (art. 18) et lectionis S. Scripturae (art. 3), *sacra praedicatio* non de solis contionibus sollemnioribus, sed de piis quoque hortationibus et homiliis intellegenda est. Solae excipiuntur catecheses, de quibus Codex distincto capite agit.

3. Ex c. I, art. 3, *parochus* in tota dioecesi, nisi episcopus aliter decreverit, approbatus censetur. Eodem enim modo ad confessiones et ad contiones habilitatus est : et observationi legis residentiae cavetur : quod superfluum foret si in sola sua parochia contionari posset.

4. *Assensus Superioris religiosi*, qui in Institutis exemptis, etiam laicis, requiritur, non est necessarius, si Institutum non sit exemptum. Patet ex C. *Conditae*, II, c. 8, ad quam c. 1338, § 3 remittimur.

5. *Contionator* invitatus ipse nullam licentiam Ordinarii loci petere debet. Tunc enim tantum puniendus dicitur, si scienter acceptarit contionem pro qua debitae licentiae postulatae non fuerint.

6. Licetne episcopo *diploma praedicationis* regulari exempto conferre ? Qua ratione is ipsius subditus est in hac re, eadem diploma concedere posse videtur. Accedente itaque proprii Superioris licentia, id fas esse dicimus. Sicubi tamen in curia episcopali huius modi diplomata in usu sunt.

7. *Ordinarius* de quo in c. III, art. 21, est Ordinarius loci. Idem enim censendus est qui art. proxime superiore nominatur.

8. Art. 23, *viventes* quorum auctoritas allegari vetatur sunt acatholici. Reprehensio enim quae statim additur in bonos catholicos laicos cadere nequit.

9. Officia et iura episcoporum per se quoque ad alios Ordinarios locorum, quales sunt Vicarii apostolici, Praefecti apostolici et Vicarii generales spectant. Sed loca subiecta S. C. Propagandae Fidei *Instructio* afficere non videtur. Conferendo enim cc. 248 et 252, S. C. Propagandae Fidei Consistorialem pro locis sibi subiectis supplere videtur.

10. Hactenus concessae facultates non revocantur.

IV. Summaria rerum praeceptarum propositio

Ut aliquid conferamus ad praeceptorum exsecutionem, sine qua in pessima republica plurimae leges exsistunt, operae pretium putamus paucis verbis repetere quae potissimum pulcherrima ista instructione fieri iubentur. In aestimatione autem impositae obligationis, benigniores partes amplectandas arbitramur, ne, propter ipsam difficultatem, exsecutio neglegatur.

1. Ordinarii locorum examen instituere debent ad approbandos contionatores. Quantum fieri potest, tres sint examinatores. De doctrina et de actione iudicium ferendum est. Sed nihil impedire videtur, quin doctrina in ipso examine ad confessarios approbandos demonstretur. Ex exercitationibus seminarii actio iam cognosci potuit. Aliunde venientes specimine demonstrare debebunt quaenam futura sit eorum actio.

Prudenti Ordinariorum iudicio permittitur, ut ipsos religiosos examini submittat an consuetis religiosorum exercitationibus et testimonio Superiorum potius fidere malit.

Non permittet ut ignotus extraneus in sua dioecesi praedicet verbum Dei, nisi caute sumptae informationes id suadeant.

In modum quo contiones praesertim sollemniores in suo territorio habentur attente vigilabit.

2. Qui contionatores invitant instructionibus ab episcopo forte datis in primis obtemperabunt. *Nominatim* neminem petant nisi quem approbatum noverint, vel nisi tempestive licentiam ab Ordinario loci petierint. Licet ipsis quoque petere in genere a Superiore religioso subditum approbatum.

3. Approbati contionatores ad saluberrima monita et directiones Instructionis sedulo se accommodabunt.

17. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECLARATIO 10 DEC. 1918

Super decreto de choreis (A. A. S. 2 ian. 1918, 10, 17)

Dubium de decr. 31 mart. 1916 circa choreas.

Cuidam Ordinario in Foederatis Americae Statibus roganti « utrum choreae, de quibus agit decretum S. Congregationis Consistorialis diei 31 martii 1916 quasque eadem S. Congregatio proscripsit, licitae aliquando sint, seu in reprobatione non comprehendantur, si fiant diurnis horis, aut primis tantum noctis horis, nec nimium protrahantur, vel etiam si fiant sine conviviis aut ea methodo quae vulgo appellari solet *Pic-nic* » : Sacra Congregatio Consistorialis, re considerata, respondendum censuit : *In reprobatione comprehendi ;* ideoque clericos omnes prohiberi quominus eas, etiam in memoratis adiunctis, promoveant et foveant, et si ab aliis promoveantur, prohiberi quominus ipsi intersint.

Responsum.

[16. 17]

Sanctissimus autem Dominus in audientia diei 30 novembris huius anni resolutionem confirmavit, et edi iussit pro norma omnium ad quos spectat.

Dies (10 dec. 1917).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 10 decembris 1917.

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Assessor.

ANNOTATIONES

Decreto 31 mart. 1916 (A. A. S., t. 8 (1916), p. 147) S. C. urgebat prohibitionem Concil. Baltim. III, his verbis latam : « Mandamus quoque ut sacerdotes illum abusum, quo convivia parantur cum choreis (*Balls*) ad opera pia promovenda, omnino tollendum curent ». (Cf. Acta Conc. Balt. III, n. 290. Period. t. 8, p. 161, n. 75, Y). Novo dubio ansam dedisse verisimile est verba quibus Concilium conventus, *Picnics* dictos, « non nisi omni adhibita cautela posse permitti » dicebat. De ipsis conventibus declaratio non agit, sed de solis choreis. I. C., s. I.

18. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETA SUMMATIM RELATA

A. *Mutantur fines aut titulus dioecesium.*

Duae paroeciae a dioec. Ratisb. avulsae dioec. Aug. Vindel. aggregantur.

1. Decreto 21 maii 1917 fideles paroeciarum *Au am Aign* et *Winden am Aign* respective paroeciis *Hoeg* et filiali ecclesiae *Langenbruck*, par. *Falhenbach*, quae ad dioecesim Augustae Vindeliciorum (Augsburg) pertinent, aggregati sunt. Decretum ex voto ipsorum fidelium latum, ut ad ecclesiam facilius convenire possent, exsequetur ipse Nuntius Apostolicus. (A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 342).

Finium circumscriptio dioec. Florent. et Faesul.

2. Controversias circa fines cum paroeciarum quattuor, tum ipsarum dioecesium Florentinae et Faesulanae ad quas pertinent, decretis S. C. Consistorialis Ssmus D. Benedictus XV certa scientia et apostolica auctoritate diremit.

Duplici decreto 24 aug. 1917 fines primo inter paroecias *Cercina* (Florent.) et *Maccioli* (Faesul.), dein inter paroecias *S. Gervasii* (Florent.) et *S. Dominici* (Faesul.) determinavit. Decretis vis eadem tribuitur ac si apostolicae sub plumbo litterae expeditae essent. (A. A. S. 1 oct. 1917, 9, 488 et 489).

Mutatio tituli dioec. de Alagoas.

3. Ex decreto 25 aug. 1917, pars dioecesis de Alagoas (Brasilia Orient.) antea dismembratae, quae illud nomen servaverat, iam dioecesis *Maceiensis* vocabitur, ne in documentis ex servato nomine confusio oriatur. (A. A. S. 1 oct. 1917, 9, 490).

B. *Concessio Pallii.*

Conceditur pallium ad personam.

Decreto S. C. Consist. 27 apr. 1917, valituro ac si apostolicae sub plumbo litterae datae fuissent, SS. D. N. Benedictus XV. R. P. D. Gui-

Ielmo Van de Ven, episcopo Buscodunensi ('s Hertogenbosch) pallium *ad personam* concedit, quo eius optima merita, recurrente anno XXV ab episcopatu suscepto, recognoscat. (A. A. S. 1 aug. 1917, 9, 383).

C. *Institutio episcoporum inspectorum pro clericis in exercitu degentibus.*

Instituuntur inspectores clericorum in exercitu Francorum.

Decreto S. C Consistorialis 19 nov. 1917, SS. D. N. Benedictus XV Rmos episcopos, DD. Carolum Ruch et Gabrielem Llobet inspectores sacerdotum omnium et seminariorum alumnorum, qui in exercitu Francorum degunt, nominavit.

Notandum est decreti titulum de « sacerdotibus et clericis » loqui, dum ipse textus « sacerdotes omnes et seminariorum alumnos » designat. (A. A. S. 1 dec. 1917, 9, 566). I. C., s. I.

---

19. — S. CONGR. CONCILII

DECRETA SUMMATIM RELATA.

Quandonam et cuinam cathedraticum debeatur.

A. Die 11 mart. 1911 in causa *Civitatis Castelli et Alatrinae, Cathedratici*, S. C. C. rescripsit *cathedraticum, sede vacante, non deberi.* Etenim solvitur in obsequium episcopi eiusque magisterii, non autem in subsidium. In causae expositione, natura cathedratici dilucide explicatur. Monemur simul onus solvendi cathedraticum consuetudine imminui posse. Rescriptum autem quod 13 mart. 1911 a S. Pontifice approbatum et confirmatum est, ex aedibus S. C. C. datum est 20 aug. 1917 (A. A. S. 1 oct. 1917, 9, 497-502).

Obligatio missae pro populo. Ab episcopo ne precario quidem relaxari potest.

B. Die 17 mart. 1917, S. C. Conc. in plenario conventu causam *Mandelen. curae animarum et missae pro populo diremit.* In oppido « *Cantalupo Sabino* », prius dioec. Sabinen. nunc Mandelen. ubi etiam nunc vix mille homines habitant, unica ecclesia parochialis S. Blasii regebatur a duobus parochis, habentibus distincta beneficia, et alternis hebdomadis regentibus paroeciam, et dicentibus missam pro populo. Anno 1667, Card. Brancatius curam animarum ab uno tantum parocho exercendam esse voluit ; alterum vero beneficiarium fecit vicarium perpetuum et coadiutorem. Proprios tamen reditus utrique beneficiario reliquit et proventus ; incertorum autem emolumentorum duae partes parocho, tertiam vicario assignavit.

Ad sopiendas controversias, anno 1744, Card. De Elcio ratam habuit conventionem vi cuius missa pro populo alternis hebdomadis parocho et vicario competebat, et alterna quaedam paroecia administratio utrique tradebatur, ita tamen ut parocho reservarentur non nullae functiones et administratio baptismi, communionis paschalis, matrimonii, sacri viatici et extremae unctionis.

Anno 1910, mortuo vicario, parochus curam totam suscepit et missam ipse pro populo diebus statutis applicavit. Potestas vero civilis proventus vicarii sibi vindicavit, solis exceptis quinque libellis quas singulis mensibus parocho tradebat. Anno autem 1912, vicaria vacans parocho qua

oeconomo spirituali commissa fuit et tradi coeptae sunt decem libellae menstruae.

His in adiunctis, quaerit parochus 1) num debeat omnibus diebus praeceptis missam pro populo applicare ; 2) ut saltem ex gratia ipsi concedatur privilegium celebrandi tantum sexagies quinquies in anno, sicut in visitatione 1894 Episcopus precario ipsi concessit.

S. Cong. respondit ad 1. Affirmative. Ad 2. Provisum in primo. In disceptatione agitur de iure episcopi tribuendi uni parocho ecclesiam quae duobus competebat ; — et episcopo facultatem esse negatur dispensandi precario a regulari celebratione missae pro populo. (A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 343 ss.).

Capituli cura habitualis et functiones parochiales.

C. Die 17 mart. 1917, in causa *Turritana, Curae animarum*, S. C. Concilii diremit, contra parochum, controversiam exortam inter capitulum metropolitanae ecclesiae Turritanae, quod ex Bulla Pii VI, ex decreto archiepiscopi et ex consuetudine, plura peragere solebat quae parocho reservantur, et parochum qui contendebat ne curam quidem habitualem capitulo competere et postulabat ut moraliter omnia ad ipsum redirent. Ad dubium enim sic propositum : *An et quomodo cura habitualis et actualis animarum spectent ad capitulum et ad canonicum parochum ecclesiae metropolitanae Turritanae in casu*, S. C. C. respondit, « curam habitualem spectare ad capitulum, actualem canonico-parocho competere, servatis ad unguem litteris apostolicis Pianis, decisione archiepiscopi Della Torre et consuetudine ».

In causae expositione observatum est, cum agitur de ecclesiis cathedralibus, nullam *praesumptionem* de cura habituali favere alterutri parti (A. A. S. 389) ; — iura parochialia praescriptione acquiri posse, idque constare post decis. S. Trib. Signaturae in *Salutiarum, Iurium*, 13 maii-28 iun. 1916 ; in Italia actualem curam committi *praevio concursu*, etiam cum habitualis est penes capitulum (A. A. S. 391). Utilia monumenta iurisprudentiae de ista cura actuali et habituali indicantur : S. Rota, in *Salutiarum, Iurium*, 2 sept. 1911 ; 1 iul. 1913 ; 15 iul. 1915, et decisio Sup. Trib. Sign. 23 maii-28 iun. 1916 ; S. Rota in *Fesulan. Iurium*, 16 feb. 1911 ; 17 mart. 1914 ; 9 iul. 1915. (A. A. S. 1 aug. 1917, 9, 384-394).

Deliberatio capitularis invalida declaratur ex obiecto et ex forma.

D. Die 17 mart. 1917, in causa *dioecesis X* in Hispania, *Deliberationis capitularis*, ad dubium « An deliberatio capitularium sustineatur in casu ». Emi Patres responderi mandarunt « *Negative* et ad mentem. *Mens est :* episcopus iniungat canonico Magistrali ut retractet iniurias et se gerat ea qua decet caritate erga confratres canonicos ; et, quatenus in sua pervicacia permaneat, eum compescat per media disciplinaria ».

In Hispania, canonicus *Magistralis* fere idem est qui alibi dicitur *Theologus*. — Ad compescendum asperum et inquietum ingenium cuiusdam Canonici Magistralis, canonici unanimi suffragio decreverunt « ne quisquam illorum in choralibus oneribus quavis de causa canonicum magistralem gratis sufficeret aut substitueret ; si quis vero, contra hoc agens decretum, illius substitutum absque retributione umquam se exhiberet, hanc ipsam poenam subiret. » Decretum, quod per decem annos applicatum est, efficax fuisse videtur, sed erat illegitimum, tum quia statuta permanentia condi nequeunt inaudito et non approbante episcopo ;

tum quia capitulum poenas constituere nequit extra eas quae in capitularibus statutis continentur ; tum quia in odium unius sanciebat quidpiam extraordinarium, dum statuta debent esse communia et aequalia omnibus. (A. A. S. 1 feb. 1918, 10, 61-65).

Facultas episcopi eximendi loca pia a iurisdictione parochi.

E. Die 21 april. 1917, in causa *Lisbonen., exemptionis et iurium*, S. C. C. ad dubium : « An et quomodo decretum Emi patriarchae Lisbonensis, diei 28 dec. 1915 sit confirmandum vel infirmandum in casu » respondit : « Decretum Emi patriarchae esse confirmandum. Et amplius. »

Decreto 5 aug. 1873 Emus patriarcha hospitalia exemit a iurisdictione parochi, et cappellanis commisit ut, independenter a parocho, sacramenta, uno excepto matrimonio, administrarent.

Praesens autem patriarcha, post perturbatas res, statuit 18 dec. 1915, exemptionem istam manere ; donec autem cappellani prohiberentur spirituale regimen resumere, curam infirmorum committi parochis in quorum finibus piae domus inveniuntur. — Itaque resolutione sua Emi Patres agnoverunt iam ante Codicem licuisse episcopo ut certas domos iurisdictioni parochorum rationabiliter subtraheret. (A. A. S. 1 ap. 1918, 10, 138-144).

Vindicatio summae a canonico contra capitulum.

F. Die 14 iul. 1917, *S. Congr. Concilii* in qua canonicus honorarius qui anno 1908 inter *participantes* annumerabatur partem vindicabat summae quae, anno 1908 debita, per litem anno 1916 obtenta est, capitulum opponebat consuetudinem immemorabilem dividendi inter praesentes sola lucra et fructus *actu percepta ;* etiamsi ante natura essent. Reponebat canonicus consuetudinem istam minime de emolumentis extraordinariis et conspicuis sed de solis consuetis, quae compensationis aleam admittebant, valere et valere posse. Huic difficultati capitulum compensationem opponebat inter *onera* et *commoda :* renuntiantes enim iuri in emolumenta non percepta oneribus etiam, si qua postea implenda probentur liberari.

Praeterea, ex natura rei vel tacita conventione, ad multas difficultates praecavendas, ius singulorum non est in fructus percipiendos sed in iam *perceptos* seu quibus massa componitur.

Inde, in plenariis comitiis, *negative* responderunt Patres ad quaesitum : *An sacerdoti recurrenti expetita portio tribuenda sit in casu.* (A. A. S. 1 oct. 1917, 9, 491-497).

Quisnam ordinarius sit sacerdotis regularis saecularizati.

G. Die 17 ian. 1918, in causa *dioecesis* T. *incardinationis*, ubi agebatur de regulari sollemniter professo qui, obtento indulto saecularizationis perpetuae, ab episcopo benevolo receptore formaliter excardinatus fuerat et in alia dioecesi, per bullas datariae, beneficium paroeciale adeptus erat, S. C. C. respondet « ad mentem. Mens est : sacerdotem N. N. utpote regularem perpetuo saecularizatum adhuc manere sub iurisdictione episcopi benevoli receptoris ; attamen Ordinarius T. eidem conservet assignatam pensionem ; facto verbo cum Sanctissimo ».

Resolutio ista arte cohaeret cum iure quo, *ante Codicem*, saecularizatus astrictus votis manebat et etiam in vim sollemnis voti oboedientiae, oboedire debebat episcopo benevolo receptori, iure a S. Sede delegato, quod is, inconsulta S. Sede, in alium refundere non poterat. Hodie itaque tale ratiocinium non subsistit. In causae propositione plura de incardinatione, ante Codicem, allegantur. (A. A. S. 2 ian. 1918, 10, 18-25).

20. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSUM 20 MAII 1917

De aggregatione Filiarum S. Ursulae a S. Angela Mericia Tertio Ordini S. F. (A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 350)

Dubia de vi aggregationis religiosarum ad tertium Ordinem S. Francisci.

In Generalibus Comitiis diei 19 maii 1917, Emis Patribus Cardinalibus S. Congregationis de Religiosis, habita ratione Decreti eiusdem S. Congregationis diei 30 iunii 1911 quo Societati Filiarum S. Ursulae aggregatio conceditur Tertio Ordini Franciscali ad obtinenda privilegia indulgentiasque eiusdem Tertii Ordinis, proposita sunt solvenda circa relationes inter Societatem Filiarum S. Ursulae a S. Angela Mericia et Tertios Ordines praesertimque Tertium Ordinem Franciscalem, infrascripta dubia :

Dubia.

I. Utrum Filiae e Societate S. Ursulae ascribi possunt Tertio Ordini S. Francisci, vel alteri Tertio Ordini ?

II. Utrum Decreto S. Congregationis de Religiosis anni 1911, quo privilegia et indulgentiae Tertii Ordinis S. Francisci communicantur cum Societate Filiarum S. Ursulae, frui quoque valeant illae Familiae eiusdem Societatis quae dictam communicationem expresse non petierint ?

III. Utrum Filiae S. Ursulae possint, quatenus Tertio Ordini Franciscali aggregatae, interesse conferentiis et functionibus quae habentur in localibus congregationibus Tertii Ordinis ?

IV. Utrum ascriptae cuicumque Tertio Ordini religioso saeculari transire possint ad Societatem Filiarum S. Ursulae ?

Responsa.

Huiusmodi dubiis Emi Patres respondendum censuerunt :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative, relicto tamen Tertio Ordine cui pertinebant.*

Dies (20 maii 1917).

Ssmus Dominus Noster Benedictus Divina Providentia PP. XV, in audientia concessa Secretario S. Congregationis die xx eiusdem mensis maii, resolutiones Emorum Patrum approbare et confirmare dignatus est.

I. Card. Tonti, *Praefectus.*
Adulphus, Ep. Canopitan., Secretarius.

Annotationes

Societas Filiarum S. Ursulae haec est quae italice vocatur *Compagnia delle figlie di S. Ursula*, cuius regula approbata a Paulo III C. *Regimini Universalis Ecclesiae*, 9 iun. 1544, denuo probata est a Leone XIII, instantibus praesertim arch. Mediolanensi et episcopo Brescianensi, in quorum dioecesi, post cladem exitialem perturbatione Gallica inflictam, denuo, ab anno 1866, florere coepit. Filiae istae nullo habitu religioso distinguuntur, in sua quaeque domo resident, neque regula ad vota facienda obligantur. Quare nihil commune habent cum *Unione Romana Ursulinarum* vel cum variis

Congregationibus votorum simplicium quae in pluribus regionibus exsistunt et de quibus diximus t. 1, n. **35**, p. 95; n. **64**, pp. 157-161 ; n. **65**, pp. 161-163 ; t. 4, n. **247**, p. 161.

Obtenta, anno 1911 [1], aggregatione collectiva ad Tertium Ordinem S. Francisci et communicatione indulgentiarum, coeperunt dubitare utrum necne singulae ad Tertium Ordinem pertinerent. Ratio dubitandi haec afferebatur, quod religiosae non essent. Sed, ut sapienter in Consultorum votis observatum est, ad excludendam qualitatem tertiarii a singulis personis, satis est ut pertineant ad institutum quod propria et approbata quadam ratione ordinem vivendi et se sanctificandi sociis suis imponit. Sicut enim c. 705 cavetur ne quispiam ad duos Tertios Ordines pertinere permittatur, ita a fortiori vetari debet ne quis simul sit Tertiarius atque in Instituto diverso suae sanctificationi allaboret.

Sapienter ergo Em. Patres singulis Filiis S. Ursulae qualitatem et iura Tertiariarum competere negarunt [2]. Aliunde, cum privilegium aggregationis ipsi Societati, non autem quibusdam tantum coetibus concessum esset, omnes familias dictae Societatis privilegio isto frui posse satis perspicitur.

Confirmantur autem quae t. 6, p. 77, n. 523 scripsimus, gratiam istam Ursulinis Belgii, Angliae, etc, minime prodesse.

21. — S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

ACTA SUMMATIM RELATA

Conditur collegium pro missionibus exteris in Hibernia.

Epistola Card. Praefecti S. C. de P. F., d. 13 iun. 1917, Card. Logue, archiep. Armacano gratulatur de nuntiato proposito condendi in Hibernia collegium pro missionibus exteris eiusque operis promotori et benefactoribus apostolicam a S. Pontifice concessam benedictionem nuntiat. (A. A. S. 1 aug. 1917, 9, 395).

22. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM (LUGDUNEN.) 12 IAN. 1917

De sacra unctione manus in ordinatione

(A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 351)

R. D. S. Kyne, missionarius in civitate Lugdunensi degens, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia solvenda humiliter proposuit, nimirum :

[1] Cf. PERIODICA, t. 6, n. **523**, p. 77.

[2] Cf. in contrariam partem, MONITORE ECCLESIASTICO, 1914, p. 469-470.

Vis verbi « palma » quod ad unctiones.

I. An per verbum *palmas*, de quo Pontificale Romanum, loquens de unctione manuum presbyteri, dicit : *ungit totaliter palmas*, intellegenda sit tantum illa pars manus quae sese extendit a brachio usque ad digitos vel comprehendi debeant etiam tres digiti qui dicuntur medius, annularis et minimus ?

De extensione unctionis.

II. *Et quatenus negative ad secundam partem*, unctio in ordinatione extendine debet usque ad extremum horum trium digitorum vel restringi ad illam partem manus quae vulgo dicitur *palma manus*, id est quae sese extendit a brachio usque ad digitos exclusive ?

De unctione digiti medii in mutilo.

III. Utrum sacerdos miles cui ablatus est index in bello, obtenta permissione celebrandi *cum medio*, indigeat unctione istius digiti medii priusquam celebret ?

Ratio dubitandi est quia quidam theologi dicunt unctionem non requiri eo quod tota manus in ordinatione consecrata est, sed rubrica de unctione manuum in pontificali non loquitur de *manu* sed de *palma*.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit :

Responsa.

Ad I. Intellegenda est pars interior manus inclusis digitis, ad mentem Rubricae et formulae Pontificalis Romani.

Ad II. Provisum in I.

Ad III. *Negative* et acquiescat.

Dies (12 ian. 1917).

Atque ita rescripsit, die 12 ianuarii 1917.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Rubrica Pontificalis et formula in unctione manuum adhibita sat clare indicant totam manum per modum unius ungi ; sic enim habet Rubrica : « Pontifex cum oleo Catechumenorum inungit unicuique ambas **manus** simul iunctas, in modum crucis ; producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet, a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae, et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae, ungendo mox totaliter palmas. » Formula autem in unctione adhibita haec est : « Consecrare, et sanctificare digneris, Domine, **manus** istas... » Unde clare patet totam manum esse ungendam, et si pars alicuius digiti materialiter inuncta non fuerit, hanc tamen consecrationem et unctionem totius participare.

Ios. Pauwels, s. i.

23. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM (TARVISINA) 18 MAII 1917

De instrumentis « Campane tubolari » in Organo (A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 352)

Rmus Dnus Episcopus Tarvisinus Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione proposuit; nimirum :

Dubium. Utrum organo ad usum liturgicum adhibito adiungere liceat instrumenta vulgo vocata *Campane tubolari?*

Responsum. Et Sacra eadem Congregatio, attento Motu proprio sa. me. Pii Papae X. *De musica sacra*, n. 4121, diei 21 novembris 1903, tit. VI, n. 18 et 12, una cum subsequentibus declarationibus, atque audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit : *Negative*.

Dies (18 maii 1917). Atque ita rescripsit ac declaravit, die 18 maii 1917.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

---

24. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM 23 IUNII 1917

De cantu liturgico gregoriano (A. A. S. 1 aug. 1917, 9, 396)

Dubia. A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutio expostulata est ; nimirum :

1. de notatione cantus I. An liceat in commodum cantorum, praesertim in ecclesiis ruralibus, adhibere cantum gregorianum notulis musicalibus modernis descriptum?

2. de vi decreti n. 4263. II. An decretum super editione vaticana eiusque reproductione quoad libros liturgicos gregorianos cum signis rythmicis, uti vocant, privata auctoritate adiectis, quod impressum quidem est sub n. 4263 et die 11 aprilis 1911, inter *decreta authentica* S. R. C, sed non insertum in *Acta Apostolicae Sedis*, maneat adhuc in suo vigore?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositis dubiis ita respondendum censuit :

Responsa. Ad I. *Affirmative*, iuxta decretum n. 4166 circa libros cantus liturgici gregoriani, diei 11 augusti 1905 ad VII ; relatum inter *decreta authentica* S. R. C. et *Acta Apostolicae Sedis*.

Ad II. *Affirmative*, in subsidium scholarum cantorum, iuxta tenorem eiusdem decreti n. 4263. [1]

[1] DECRETUM SEU DECLARATIO SUPER EDITIONE VATICANA EIUSQUE REPRODUCTIONE QUOAD LIBROS LITURGICOS GREGORIANOS. N. 4263.

Cum postulatum fuerit, an Episcopi possint propriam approbationem donare libris cantus gregoriani, melodias Vaticanae editionis ad amussim reproductas continentibus, sed cum signorum rythmicorum indicatione, privata auctoritate additorum,

Dies (23 iun. 1917).

Atque ita rescripsit et declaravit die 23 iunii 1917.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIONES

Decr. 4166 ad VII ad quod praesens responsio remittit, sic habet : « Tolerari potest quod cantus gregorianus notulis musicalibus modernis edatur, dummodo periculum sedulo amoveatur quominus ordo notularum ac neumorum quomodocumque deturbetur. Ordinarius itaque pro hisce editionibus in commodum fidelium approbationem concedere potest, si ei constiterit iuxta art. 4 et 6, de fideli conformatione cum editione typica vel melodiis approbatis. »

Quod autem decretum 4263 in *Acta Apostolicae Sedis* insertum non sit non officit quominus ut authenticum et rite promulgatum habeatur : refertur enim in Vol. VI Collectionis authenticae. Iam vero decretum 24 apr. 1912 huic Volumini praemissum et quod in *Acta Apostolicae Sedis* 1 iul. 1912 refertur, declarat Summum Pontificem omnia decreta in hoc Volumine sexto contenta prout in eodem Volumine apponuntur et Indice explicantur apostolica sua auctoritate approbasse, atque authentica declarasse. Ios. PAUWELS, S. I.

---

25. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM (O. S. BENED.) 23 IUN. 1917

Dubia de quibusdam occurrentiis

(A. A. S. 1 aug. 1917, 9, 397)

R. P. D. Fidelis de Stotzingen, Abbas Primas Ord. S. Benedicti, Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exposuit solvenda quaedam dubia, a diversis Congregationibus eiusdem Ordinis proposita, quae orta sunt ex novis Rubricis Lectionarii ad usum militantium sub regula S. Benedicti ; nimirum :

Dubia.

I. Habetne Memoria in primis vesperis veram et propriе dictam concurrentiam, ita ut habere debeat praecedentiam super reliquas commemorationes ?

Sacra Rituum Congregatio ad maiorem declarationem Decreti n. 4259, 25 ianuarii vertentis anni, respondendum censuit :

Editionibus in subsidium scholarum cantorum, signis rythmicis, uti vocant, privata auctoritate ornatis, poterunt Ordinarii, in sua quisque Dioecesi, apponere *imprimatur*, dummodo constet, cetera, quae in Decretis Sacrae Rituum Congregationis iniuncta sunt, quoad cantus gregoriani restaurationem, fuisse servata.

Quam resolutionem Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X, per Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et probavit. Die 11 aprilis 1911.

II. Si tempore Adventus vel Septuagesimae, quae sunt privilegiatae III Ordinis Memoria cum feria occurrat, quaenam missa est dicenda ?

III. Si prima die libera cuiuslibet hebdomadae in Quadragesima occurrat festum duplex tamen simplificatum, licetne missam de Requie celebrare ?

IV. Si feria Quadragesimae occurrat festum duplex simplificatum, licetne missam de sancto celebrare ?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit : **Responsa.**

Ad I. *Negative*, iuxta normas et rubricas in usum Benedictinorum confoederatorum approbatas die 9 iunii 1915, tit. VII, *De Commemorationibus*, 4.

Ad II. Missae privatae dici poterunt de sancto vel de feria, missa vero conventualis dicenda est de feria.

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. *Negative.*

Atque ita rescripsit et declaravit die 23 iunii 1917. *Dies (23 iun. 1917).*

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

In nova editione typica Breviarii romani, Motu proprio *Abhinc duos annos* [1] praescripta, non nova Psalterii dispositio tantum sanciebatur, sed non nullae leges liturgicae ad meliorem formam reducebantur, quarum scopus ut perfectius attingeretur, simul decreto 28 oct. 1913 [2] kalendaria particularia tam dioecesium quam ordinum regularium et congregationum reformanda praescribebantur. Ordo S. Benedicti, qui in amplificanda et evulganda scientia liturgica, et in cultus divini splendore augendo tam strenue et laudabiliter nostris praesertim temporibus allaboravit, officium suum novis legibus adaptare voluit et kalendarium proprium ita reformare ut scopus Bullae *Divino afflatu* et sequentium rubricarum et decretorum perfecte obtineretur, quod kalendarium cum normis a S. R. C. fuit approbatum.

Porro, Psalterium, uti a S. Benedicto fuerat dispositum, in omnibus servatur ; et, si pauca excipias quae pertinent praesertim ad suffragium, preces, symbolum *Quicumque* [3], officium divinum uti ante reformationem a Patribus Benedictinis recitatur in duplicibus 1 et 2 classis, et in duplicibus

---

1 PERIODICA, n. **706**, t. 7, p. 196.

2 PERIODICA, n. **707**, ibid. p. 198.

3 In officio Benedictino reformato symbolum *Quicumque* additur tantum in festo Ss. Trinitatis. Dicitur suffragium unicum ut in Breviario romano, quod omittitur quotiens in dominica vel feria fit commemoratio duplicis vel cuiusvis octavae. Item preces, quae ceteroquin numquam dicuntur nisi in prima et completorio, omittuntur quotiescumque in dominica vel feria, etiam privilegiata, fit commemoratio duplicis vel cuiusvis octavae.

maioribus ; insuper diebus infra octavas et in die octava duplicis 1 classis, tandem in omnibus dominicis, feriis et vigiliis ; seu aliis verbis : in omnibus officiis de tempore, in officiis XII lectionum et diebus infra octavas [1]. Attamen, in duplicibus maioribus, quae non sunt festa Domini, B. Mariae Virginis, Ss. Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, Ss. Apostolorum et Evangelistarum, et in diebus octavis, per se dicuntur lectiones de Scriptura occurrente cum suis responsoriis de tempore.

Contra festa duplicia minora persolvuntur iam ritu qui vix differt ab antiquo ritu simplici, nisi quod ad horas maiores antiphonae duplicantur. In eis ad matutinum, laudes et vesperas antiphonae et psalmi sumuntur de occurrente feria in Psalterio [2] ; lectiones dicuntur in hyeme, h. e. a dominica 1 novembris ad Quadragesimam, tres, quarum duae priores sunt de Scriptura occurrente cum responsoriis de tempore, tertia vero de sancto : in aestate vero, h. e. ab octava Paschatis ad dominicam 1 novembris, quo tempore in Breviario Benedictino lectiones de Scriptura feriis non assignantur, dicitur lectio unica de sancto, cum responsorio item de sancto, nisi tamen festum duplex celebretur feria VI post octavam Ascensionis, aut reponendae sint lectiones dominicae in propria die impeditae. Quod si in duplici minori facienda sit commemoratio alicuius vigiliae, duae priores lectiones dicuntur de homilia vigiliae cum responsoriis dominicae, tertia de festo.

Festa ritus semiduplicis vel simplicis in kalendario Benedictino iam non inveniuntur [3] ; contra novus introductus est ritus, *memoria* scilicet. De memoria autem nullum fit officium, sed tantum commemoratio iuxta rubricas in 1 vesperis et laudibus officii occurrentis, sive illud sit de festo, sive de feria. Si tamen officium est de feria minori, missa conventualis celebratur de sancto cuius agitur memoria.

Iam vero hoc ritu memoriae perfecte attingi scopum novae legislationis liturgicae, ut nempe suus antiquo officio feriali honor restituatur, nec tamen quicquam de Sanctorum cultu detraheretur [4], evidenter patet. Multis enim festis ad ritum memoriae redactis, non nullis insuper, etiam ex iis quae in

[1] Si excipiuntur duplicia maiora et octavae communes, regula practice non differt ab illa quae habetur in Breviario romano, et insuper animadvertendum est apud Benedictinos diebus infra octavas communes, et etiam privilegiatas, in matutino adhiberi psalmos feriales.

[2] In Breviario Benedictino ad horas minores semper adhibentur psalmi ut in Psalterio cum antiphona propria in festis : ad completorium vero, semper dicuntur iidem psalmi sine antiphona.

[3] Ritus semiduplicis sunt tantum dominicae et dies infra octavas privilegiatas et communes ; ritus vero simplicis, praeter ferias, dies octavae simplex et officium B. M. V. in sabbato.

[4] Bulla *Divino afflatu*. PERIODICA, n. 551, t. 7, p. 127.

kalendario universalis Ecclesiae habentur, suppressis, multo frequentius officium feriale apud Benedictinos occurrit. Sed insuper haud parum aucta sunt privilegia non nullarum feriarum apud illos. Distinguunt enim ferias maiores triplicis ordinis :

a) feriae privilegiatae 1 ordinis illae sunt quae in Breviario romano simpliciter vocantur feriae privilegiatae, et iisdem atque in Breviario romano gaudent privilegiis ;

b) feriae 2 ordinis sunt reliquae feriae Quadragesimae, feriae Quattuor Temporum et feria II Rogationum, quae iisdem privilegiis fere gaudent ac dominicae per annum, sc. excludunt assignationem perpetuam cuiusve festi, etiam duplicis 1 classis, et in occurrentia accidentali cedunt tantum duplicibus 1 et 2 classis ;

c) feriae 3 ordinis, quae sunt feriae Adventus et feriae post Septuagesimam, praeferuntur diei octavae simplici et officio B. M. V. in sabbato, et de his semper, etiam in duplicibus 1 classis fit commemoratio in laudibus, missa et vesperis.

Ex superius dictis clare patet cur *memoria* in 1 vesperis veram et proprie dictam concurrentiam non habeat, ita ut eius commemoratio facienda sit primo loco : hoc enim privilegio gaudet tantum officium quod integre recitatur, sed de *memoria* nullum fit officium, eius commemoratio proin iuxta tit. VII, n. 4 facienda erit ultimo loco. Insuper quod superius dicebamus de missa conventuali celebranda de sancto cuius memoria agitur, si officium fuit de feria minori, extendi non potest ad ferias maiores, etiam 3 ordinis; in ipsis tamen de sancto permittuntur missae privatae, quae in feriis privilegiatis 2 ordinis prohibentur, etiam si commemoratio facta est duplicis minoris aut etiam maioris. Contra, haec commemoratio duplicis non impedit missam de Requiem prima die libera cuiuslibet hebdomadae in Quadragesima.

Ios. Pauwels, s. i.

26. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM (FERENTINA) 23 NOV. 1917

De iis qui Episcopo in caerimoniis coram SS° exposito assistant (A. A. S. 2 ian. 1918, 10, 25)

Dominicus Bianconi, episcopus Ferentinus, sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expostulavit nimirum :

Dubia.

I. Episcopo in sollemni benedictione cum sanctissimo Eucharistiae Sacramento, loco diaconi et subdiaconi, possuntne ministrare duo diaconi dalmaticis induti ac presbyter cum pluviali, iuxta Caerimoniale

Episcoporum lib. 2, cap. 33, n 8, Decretum S. R. C. n. 3728 *Montis Regalis* die 10 maii 1890 ad III et alterum *de caerimoniis quibusdam servandis coram SS^mo Sacramento, assistente vel celebrante Episcopo*, diei 8 februarii 1913 ad II, etiamsi praedicta benedictio sollemnis non detur immediate post processionem cum eodem augustissimo Sacramento aut post vesperas pontificales ?

II. Si Episcopo in eadem functione ministrent diaconus et subdiaconus de more induti, ad mentem Decretorum S. R. C. possuntne ei assistere etiam duo diaconi cum dalmaticis atque presbyter cum pluviali, quamvis eadem benedictio cum sanctissimo Sacramento missam pontificalem immediate non sequatur ?

Responsa. Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositis quaestionibus ita respondendum censuit :

Ad I. *Affirmative* si adsit consuetudo, servato Decreto n. 4030 die 9 iunii 1899 pro adhibenda stola subtus dalmaticam a diacono digniore.

Ad II. *Negative.*

Dies (23 nov. 1917). Atque ita rescripsit ac declaravit, die 23 novembris 1917.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Secundum Caeremoniale episcoporum (Lib. II, cap. 23, n. 12) feria V in Cena Domini, ante processionem « diaconus assistens, et non alius [etsi stolam minime defert] cum debitis reverentiis capit sanctissimum Sacramentum de altari et illud offert episcopo », idemque in loco repositionis « accipiet de manu ipsius stantis sanctissimum Sacramentum, genuflexus, sine osculo manus, quod deponet super altari in loco praeparato, cooperiens velo undiqne calicem » : tandem, post incensationem sanctissimi Sacramenti per eundem diaconum assistentem clauditur ostiolum tabernaculi.

Item feria VI in Parasceve (ex cap. 35, n. 31), in loco repositionis, ante processionem « primus diaconus assistens, accipit sanctissimum Sacramentum de capsula, illudque in manibus episcopi, adhuc genuflexi, reverenter collocat » : ad altare vero diaconus evangelii accipit sanctissimum Sacramentum de manu episcopi stantis, illudque reverenter collocat super altare.

Eodem modo, loquens de processione in festo Corporis Christi habet Caerimoniale (Lib. II, cap. 33, n. 20) : « Et diaconus assistens a dextris accedet ad altare, et cum debitis reverentiis accipiet tabernaculum, sive ostensorium cum sanctissimo Sacramento de altari, et illud in manibus episcopi genuflexi collocabit. » Et post processionem : « postquam episcopus pervenerit ad supremum altaris gradum, diaconus a dextris cum debita reverentia et genuflexione, ac sine osculo accipiet de manu ipsius episcopi stan-

sanctissimum Sacramentum; et illud super altare collocabit. » (Ibid. n. 24).

Iam vero, ex decreto 4030, **Dubia**, 9 iun. 1899, sunt *ii soli* casus in quibus ad exponendum vel reponendum sanctissimum Sacramentum diaconus stolam non adhibet. Si ergo, in aliis processionibus, quas episcopus pontificaliter peragit, ex decreto 3728 **Montis regalis**, 10 maii 1890 ad 3, ipse incedere debet medius inter diaconos assistentes prout in Caeremoniali praescribitur pro festo Corporis Christi, hoc tamen extendi non debet ad modum recipiendi vel tradendi sanctissimum Sacramentum; in casu enim, ut ex praesenti responso ad 1 patet, dignior diaconus subtus dalmaticam stolam gerere debet. Et similiter, si statim post vesperas pontificales benedictio cum sanctissimo Sacramento ab episcopo impertienda foret, primus diaconus ipsi sanctissimum Sacramentum tradere, aut post benedictionem ab ipso recipere non potest, nisi stola sit indutus; secus ipse episcopus Sanctissimum de altari sumat et in illud reponat.

Quod si episcopus independenter a missa vel vesperis pontificalibus, v. g. post laudes vespertinas benedictionem cum Sanctissimo impertitur, possunt, ex praesenti decreto, ei assistere duo diaconi, ubi talis est consuetudo, dummodo prior stolam adhibeat subtus dalmaticam; nullo modo vero possunt in casu adhiberi tum diaconus et subdiaconus de more induti, tum duo diaconi cum dalmaticis atque presbyter assistens cum pluviali. Ios. PAUWELS, s. I.

---

27. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM (URBIS ET ORBIS) 12 DEC. 1917

De elevatione ritus ad duplicem I classis die 19 martii, S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virg. Conf., et die 29 septembris, in Dedicatione S. Michaëlis Arch. (A. A. S. 2 ian. 1918, 10, 26)

Rationes augendi gradus horum festorum.

Cum ex Canone n. 1267 § 1, iam vigente, Codicis iuris canonici, inter dies festos de praecepto annumeretur etiam Festum S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis, Conf., quod maxime decet nobiliori ritu decorare; cumque etiam Festum in Dedicatione S. Michaëlis Archangeli, cum quo militiae caelestis principe omnes angelorum chori honorantur, eadem ritus nobilitate dignum visum fuerit, Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV supplicibus quoque votis cleri plebisque fidelis ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis libentissime obsecundans, utrumque Festum primarium, respectiva die 19 martii et 29 septembris in universa Ecclesia recolendum, a ritu duplici secundae classis ad altiorem ritum duplicem primae classis absque octava evehere

dignatus est ; atque sub tali ritu duplici primae classis cum subsequentibus variationibus infrascriptis in futuras Breviarii Romani typici reproductiones inducendas esse iussit ac decrevit ; servatis Rubricis :

Decisiones. Mutanda in Kalendario

In Kalendario.

19 martii — S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Conf., Duplex I classis.

29 septembris — Dedicatio S. Michaelis Archangeli, Duplex I classis.

in Catalogo festorum

In Catalogo Festorum.

Duplicia I Classis primaria.

Post Assumptionem B. M. V. ponatur : Dedicatio S. Michaëlis Archangeli.

Post Nativitatem S. Ioannis Baptistae ponatur : Festum S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Vírg. Conf.

In Catalogo Festorum.

Duplicia II Classis.

Expungantur festa Dedicationis S. Michaëlis Archangeli et S. Ioseph.

In corpore Breviarii.

in corpore Breviarii.

Die 18 martii, in fine, rubrica vesperarum sic ponatur : Vesperae de sequenti, Commemoratio tantum Feriae. Post titulum Festi ponatur : Duplex I classis.

Die 19 martii — In I Vesperis expungatur rubrica : Et fit Commemoratio praecedentis.

Die 29 septembris — Post titulum Festi ponatur : Duplex I classis.

Clausula et dies (12 dec. 1917).

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12 decembris 1917.

A Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Ruf., *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Cum in primaeva Ecclesia non nisi martyribus, et quidem in solo martyrii loco, cultus publicus tribui soleret, nil mirum si de aliis sanctis, de iis quoque qui cum Christo Domino artissime hic in terra coniuncti fuerant, valde pauca interdum traditio antiqua ad nos transmiserit ; unde etiam de vita, factis et morte S. Ioseph nihil fere cum certitudine noscimus [1]. A privata devotione videtur huius sancti cultus originem sumpsisse : in martyrologio saec. IX primo legitur eius memoria, quod nondum publicum indicat cultum. Medio aevo ad cultum S. Ioseph amplificandum non parum allaboraverunt non nulli sanctitate aut scientia eminentes, ut s. Bernardus, s. Gertrudis, s. Birgitta, s. Vincentius Ferrerius, ac praesertim Ioannes Gerson, necnon et ordines

[1] In Codice saeculi XV haec leguntur : Iste sanctus (Ioseph) quali morte et quo tempore (obierit), ac in quo loco sepultus sit, plerisque penitus ignoratur. (Cf. SEITZ, *Die Verehrung des hl. Joseph*, p. 109. - De tota hac materia conferatur KELLNER. *Heortologie*).

religiosi ut ordo Servorum B. M. V., ordo Carmelitarum, ordo s. Francisci, quo factum est ut Sixtus IV, qui ex ordine erat s. Francisci, anno 1479 memoriam s. Ioseph sub ritu simplici in breviarium invexerit.

Historiam cultus s. Ioseph ab illo tempore ad reformationem Pii X sic brevi tradit Piacenza [1]. In breviariis editis annis 1503, 1530 et 1550, festum legitur ritu duplici, sub quo ritu etiam s. Pius V illud admisit in suo breviario reformato. Gregorius XV, festum cum feriatione recolendum praescripsit, anno 1622, et Clemens X anno 1670 ritu duplici 2 classis decoravit ; Clemens vero XI, anno 1714 officium proprium, quod nunc adhuc habemus, concessit. Benedictus XIII, anno 1725, nomen s. Ioseph in litanias sanctorum inseri iussit ; deinde Pius IX, anno 1847, festum Patrocinii s. Ioseph, quod praecedenti saeculo in aliquibus ecclesiis celebrari iam coeptum erat, sub ritu duplici 2 classis ad universam Ecclesiam extendit, ac postea, anno 1871, sanctum patriarcham universalis Ecclesiae patronum declaravit, ideoque eius festum ad ritum duplicem 1 classis evexit, necnon s. Ioseph memoriam agere praecepit in suffragio sanctorum et in oratione *A cunctis*. Tandem anno 1883, Leo XIII festum s. Ioseph inter sollemniores festivitates, in quibus episcopos pontificalia agere decet, et archiepiscopi pallio uti possunt, recensuit.

Motu proprio 2 iul. 1911 [2], Pius X plura festa de praecepto abolevit, simulque sanxit ut dies festus sancti Ioseph, Sponsi beatae Mariae Virginis, cum octava celebraretur, tamquam in sede propria, dominica insequente diem 19 martii, immoto permanente festo si dies 19 martii in dominicam incidat. Mox vero, die 24 iulii 1911 novum prodiit decretum S. R. C. *Urbis et orbis* [3] quo festum s. Ioseph, in die 19 martii restituebatur recolendum ritu duplici 1 classis, sed sine feriatione et sine octava, sub titulo : *Commemoratio sollemnis s. Ioseph, Sponsi B. M. Virginis, Confessoris ;* sed simul, festum Patrocinii eiusdem s. Ioseph elevabatur ad ritum duplicem 1 classis cum octava, addita festi primarii qualitate, sub titulo : *Sollemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. Virginis, Confessoris, Ecclesiae universalis Patroni.*

Abhinc hoc festum s. Ioseph procul dubio principale evasit, eo magis, quod, ut supra diximus, cum de morte s. Ioseph nihil certo sciatur, nulla seria ratio erat habendi diem 19 martii ut natalem s. Patriarchae. Et sane nova editio

---

1 *In tres tabellas occurrentiae et concurrentiae*, p. 51.
2 PERIODICA, n. 526, A, t. 6, p. 80.
3 Ibid., n. 526, B, t. 6, p. 81.

typica Martyrologii quae anno 1913 prodiit, festum 19 martii, sub titulo : *Commemoratio sollemnis sancti Ioseph Sponsi B. M. Virginis, Confessoris*, annumerat inter festa quae non sunt sanctorum natalicia [1] ; et ideo nonnulli rei liturgicae scriptores, inter quos Piacenza [2], rogare ceperunt ut festum s. Ioseph 19 martii ad antiquum suum ritum duplicem 2 classis, et quidem cum qualitate festi secundarii, reduceretur. Ipsis satisfactionem attulit decretum 28 oct. 1913 [3], saltem quod ad ritum, cum hoc decreto festum 19 martii ad ritum duplicem 2 classis reduceretur, mansit tamen primarium [4].

Interim, in novo iure canonico, (can. 1267 § 1) inter dies festos de praecepto iterum annumeratur festum S. Ioseph. Cum autem non nisi pauca festa, et quidem omnia duplicia 1 classis, hoc iure fruantur, mirum non videbitur, si praesenti decreto festo s. Ioseph restituatur ritus duplex 1 classis.

Ad eundem ritum, eodem decreto elevatum est festum in Dedicatione s. Michaelis Archangeli, cum quo militiae caelestis principe omnes chori angelorum honorantur. Iam in Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano dies 29 septembris apparet ut dies anniversaria Dedicationis alicuius ecclesiae Archangelo Michael dicatae ; quae dies mox habita est ut festum s. Michaelis, et in medio aevo multis in regionibus feriata. Feriatio, postea in Romana ecclesia admissa, a sat longo tempore iam est sublata, nec novo iure introducta.

Ex elevato ritu utriusque festi, utrumque iam praevalet cuicumque festo proprio, etiam Titularis, vel Patroni, vel Dedicationis ecclesiae propriae ; in neutro licet celebrare missam votivam, etiam sollemnem pro re gravi et publica Ecclesiae causa, nec ulla missa de Requiem permittitur, etiam exsequialis, praesente corpore ; tandem omittenda est collecta pro re gravi, quae non sit praescripta dicenda etiam in duplicibus 1 classis.

Ios. PAUWELS, S. I.

[1] In altera editione typica quae anno 1914 prodiit, festum 19 martii iterum inscribitur : *In Iudaea Natalis sancti Ioseph Sponsi beatae Mariae Virginis, Confessoris.*
[2] *In tres tabellas* p. 51.
[3] PERIODICA n. 707, t. 7, p. 198.
[4] Sic ex novo Breviario typico. In hoc Breviario festum 19 martii iterum indicatur cum titulo : Festum S. Ioseph.

28. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM 18 IAN 1918

De Octavis simplicibus (A. A. S. 1 febr 1918, 10, 69)

A Sacrorum Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutio expostulata fuit, nimirum :

Dubia.

I. An Decretum S. R. C. diei 7 augusti 1914, ad 2, statuens quod si infra octavam simplicem Nativitatis B. M. V. dicenda sit missa votiva eiusdem B. M. V., legatur missa ut in festo Nativitatis B. M. V. cum Gloria, sed sine Credo, extendatur ad alias infra Octavas simplices ?

Et, quatenus *affirmative :*

II. An infra octavam simplicem, de qua peragenda non est commemoratio in officiis occurrentibus, omitti debeant suffragium et preces ?

Et, quatenus *negative :*

III. An saltem in officio diei octavae simplicis omitti debeant suffragium et preces ?

IV. An Symbolum, dicendum in missa festi, ratione non dominicae aut octavae, sed ipsius festi, in missa diei octavae simplicis eiusdem festi omitti debeat ?

V. An praefatio propria missae festi, legi etiam debeat in missa diei octavae simplicis eiusdem festi ?

Responsa.

Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, reque accurate perpensa, ita respondendum censuit :

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative,* iuxta Rubricas novi Breviarii typici.

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit et declaravit, die 18 ianuarii 1918. *Dies (18 ian. 1918).*

Antonius Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Decretum hoc compendiose refert quomodo celebrandae sint octavae simplices, et eo confirmatur quod dicebamus t. 8, p. 239, n. **126.**

Rubricae Breviarii ad quas praesens decretum remittit sunt sequentes :

a) Deinde... praeter omnes dies, in quibus... factum fuerit officium aut commemoratio **cuiusvis** octavae... fit sequens suffragium de omnibus sanctis.

b) Quae [preces] tamen omittuntur... in omnibus diebus in quibus... factum fuerit officium aut commemoratio **cuiusvis** octavae.

c) Symbolum [athanasianum] dicitur in dominicis tantum minoribus post Epiphaniam et Pentecosten, quando fit offi-

cium de dominica ut in psalterio, neque ulla commemoratio officii duplicis vel octavae recurrit.

Et in *Additiones et variationes in rubricis generalibus breviarii* (tit. VIII, n. 3) : Quando in dominica fit commemoratio duplicis vel **cuiusvis** octavae, omittuntur suffragium, preces et symbolum athanasianum. In feriis vero in quibus item fit commemoratio duplicis aut octavae, omittuntur suffragium et preces dominicales ad primam et completorium ; non autem preces feriales si sint dicendae.

Patet etiam quod praefatio propria octavae, quae dicenda est in ipsa missa diei octavae, etsi de octava fiat tantum commemoratio, infra ipsam octavam nullo modo dicitur ; idem dicendum de doxologia propria octavae.

Ios. Pauwels, s. i.

29. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM (LAUDEN.) 16 FEBR. 1918

De collecta « pro re gravi » imperata

(A. A. S. 1 mart. 1918, 10, 107)

De decreto 23 dec. 1914. Evulgato Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, diei 23 decembris 1914, de collecta imperata ab Ordinario *pro re gravi*, nuper in Dioecesi Laudensi quaedam dubia exorta, ab hodierno ipsius Dioecesis caerimoniarum magistro, de mandato sui R^mi Episcopi, eidem Sacrae Congregationi, pro opportuna solutione, proposita sunt ; nempe :

Dubia. I. An in festis duplicibus I et II classis, collecta *pro re gravi* dicenda sit sub unica conclusione cum missae oratione ?

II. An in missa concessa de sacratissimo Corde Iesu, prima sexta feria cuiusvis mensis, in qua missa dicitur unica oratio, recitanda sit collecta imperata *pro re gravi ?* Et quatenus affirmative, an etiam sub unica conclusione ?

III. An quotiens in missa diei facienda sit aliqua commemoratio, Collecta *pro re gravi* adiungi debeat orationi missae sub unica conclusione, an potius dicenda sit post ultimam commemorationem ?

Responsa. Et Sacra eadem Congregatio, exquisito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis ita rescribendum censuit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad III. Quoad primam partem *negative*, et provisum in praecedentibus, quoad secundam *affirmative*.

Dies (16 febr. 1918). Atque ita rescripsit ac declaravit, die 16 februarii 1918.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIONES

Praesenti responsione recedit S. R. C. a solutione olim data decr. 3211 **Urbis et Orbis** 3 iul. 1869 ad 8, quo collecta pro re gravi imperata praescribebatur dicenda in duplicibus 1 classis sub unica conclusione. Ergo, iam **numquam** collecta imperata dicitur sub prima conclusione.

Ex responsione ad II patet missam votivam pro re gravi (hoc enim ritu concessa est missa de sacratissimo Corde prima feria sexta mensis dicenda) non in omnibus aequiparari missae ritus duplicis 1 classis, cum in hac missa votiva dicenda sit **omnis** collecta pro re gravi imperata, et non tantum illa quae etiam in duplicibus 1 classis praescribitur dicenda.

Ios. PAUWELS, S. I.

---

30. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

ACTA SUMMATIM RELATA

Causae Beatificationis et Canonizationis

I. *Signata est Commissio introductionis causae :*

Introductae causae.

Servae Dei *Annae ab Angelis Monteagudo*, monialis professae Ordinis S. Dominici, quae anno 1602 nata, placido ac repentino transitu 10 ian. 1686 obiit Arequipae, in regione Peruviana, postquam monasterium et civitatem suis virtutibus aedificavit. (A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 353-355). *Die 18 iun. 1917.*

Servi Dei P. J. *Ludovici Mariae Calco*, sacerdotis professi Ordinis Praedicatorum. Mediolani natus 20 dec. 1669, professor philosophiae et theologiae et variis aliis muneribus sancte perfunctus, vitae communi in clero propagandae operam dedit, ac Neapoli obiit 20 aug. 1709 (A. A. S. 1 sept. 1917, 9, 432-435). *Die 8 aug. 1917.*

Servae Dei *Mariae Antoniae a S. Iosepho de Paz y Figueroa*. In oppido S. Iacopo de l'Estero, reipublicae Argentinae, nata a. 1730, discipula PP. e Societate Iesu, post iniquam eorum expulsionem, eorum opus pro viribus instauravit, apostolicas excursiones suscipiens et exercitia spiritualia S. Ignatii tradens. In urbe S. Iacopo, recollectionum spiritualium aedem fundavit quae ab anno 1780 ad 1788 ultra septuaginta milia personarum ad sacras recollectiones agendas recepit. Similia instituta alibi fundavit. Obiit 6 mart. 1799. (A. A. S. 1 sept. 1917, 9, 435-48). *Die 8 aug. 1917.*

(Beatificationis seu declarationis martyrii) servorum Dei *Iosephi Mariae Diaz Sanjurio*, episc. Platearum et Vic. apost. Tunquini centralis, *Melchioris Garcia Sampedro* episc. Tricomiensis, eiusdem in Vicariatu successoris et mille quadringentorum et duorum, tum ex eodem Praedicatorum Ordine, tum saecularium, ab a° 1856 ad 1862 in odium fidei, uti fertur, interemptorum. In expositione causae referuntur documenta quae praesto sunt ex persecutione christiani nominis indicta a rege Tu-Duc. Narrantur virtutes et insignis fortitudo utriusque episcopi. Secundum varium attestationum valorem, catalogus martyrum in quattuor classes *Die 14 nov. 1917.*

distributus est. Exclusa quarta classe, dilata tertia, quae 261 nomina continebat, admissae sunt ambae priores, ita ut 1402 servorum Dei causa introducta sit. (A. A. S. 1 dec. 1917, 9, 568-575).

Die 23 ian. 1918.

Servae Dei *Annae Mariae Lapini*, quae, 27 maii 1809, Florentiae nata, etiam ab adulescentia *pacificatrix* nuncupata, frustra ingressum in tres Ordines postulavit; deinde, suasioni parentum et confessarii cedens matrimonium inivit valde infelix. Virum tamen convertit. Post huius mortem instituit ao 1850 religionem *Pauperum Filiarum a Sacris Stigmatibus*, aggregatam Ordini Fratrum Minorum, ad puellarum educationem, ad infirmorum levamen et ad omne caritatis opus. In infirma valetudine sororem Bonaventuram in antistitam Instituti elegit ac deputavit, et, post mira exempla oboedientiae et patientiae 15 april. 1860 obdormivit in Domino. (A. A. S. 1 mart. 1919, 99-102).

II. *Decretum confirmationis cultus ab immemorabili exhibiti datum est:*

Confirmatus cultus. Die 23 ian. 1918.

In causa *Ulyssiponensi*, in favorem fratris laici professi Carmelitarum Calceatorum, cui nomen *Nonius* seu *Nunus Alvares Pereiza*. In loco vulgo *Bonicardim*, die 24 iun. 1360 natus, nobili prosapia et triumphis militaribus clarus, qui, postquam sancte vixit in caelibatu et matrimonio, ao 1422 in ipsis carmelitarum aedibus quas exstrui fecerat et dotaverat, qua Frater laicus recipi voluit. Post decem annos sanctissimae vitae, obiit 1 nov. 1431. De cultu qui statim incepit et dein perseveravit S. Congr. Rituum confirmandam indicavit sententiam iudicis delegati ab Emo Patriarcha Lisbonensi (A. A. S. 1 mart. 1918, 10, 102-106).

III. *Decretum quo de martyrio et martyrii causa constare declaratum est:*

Admissum martyrium. Die 17 mart. 1918.

(Nescimus cur in A. A. S. hic et in duabus causis sequentibus, dies antiquato more per calendas et idus indicatus sit). In causa *Armacana*, S. Pontifex declaravit ita constare de martyrio et causa martyrii Ven. Dei Famuli *Oliverii Plunket*, primatis Hiberniae et archiepiscopi Armacanii, qui pro divino R. P. primatu et pro ecclesiastica disciplina affirmandis tuendisque, 1 iul. 1681, nobile fecit martyrium, « ut procedi possit ad ulteriora in casu et ad effectum de quo agitur. » Dispensatio a signis seu miraculis data est. (A. A. S. 1 apr. 1918, 10, 148-150).

---

31. — S. CONGR. DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

DECRETUM 7 AUG. 1917

De novo iuris canonici codice in scholis proponendo

(A. A. S. 1 sept. 1917, 9, 439)

Cum novus Codex i. c. fons unicus sit disciplinae eccl.

Cum novum iuris canonici Codicem SS. D. N. Benedictus Pp. XV a die festo Pentecostes proximi anni millesimi nongentesimi duodevicesimi in universa latina Ecclesia vim habiturum esse edixerit, liquet ex eo ipso die Codicem fore authenticum et unicum iuris canonici fontem, propterea que tum in disciplina Ecclesiae moderanda, tum in iudiciis et in

scholis eo uno utendum esse. Quam sit igitur necessarium, clericis praesertim, Codicem probe nosse atque omnino habere perspectum, nemo est qui non videat.

S. C. decernit ut ipse liber textus sit in Univers. et iuris can. lyceis

Itaque Sacra haec Congregatio, ut in re tanti momenti rectae alumnorum institutioni pro officio suo consulat, omnibus ac singulis studiorum Universitatibus et iuris canonici Lyceis quae, ad normam can. 256, § 1, eidem Sacrae Congregationi parent, praecipit ac mandat, ut in schola antehac *textus* aptissime nuncupata, in qua ius canonicum penitus copioseque praelegitur, ita in posterum eiusmodi disciplina tradatur, ut alumni, non modo Codicis sententia *synthetice* proposita, sed accurata quoque unius cuiusque canonis *analysi*, ad cognoscendum et intellegendum Codicem veluti manu ducantur : debent scilicet doctores iuri canonico tradendo, ipso Codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretari. Iidem tamen magistri, ante quam dicere de aliquo instituto iuridico aggrediantur, apte exponant qui eius fuerit ortus, quae decursu temporis acciderint progressiones, mutationes ac vices, ut discipuli pleniorem iuris cognitionem assequantur.

proponaturque interpretatio synthetica et analytica.

Alii libri ordini Codicis aptentur.

Nullo ceterum, praeter Codicem, libro alumnos uti necesse erit ; quod si doctoribus placuerit eos unum aliquem adhibere librum, id sancte retinendum, ut non eius libri ordini ordo Codicis, sed huic ille aptetur et accommodetur.

Dies (7 aug. 1917).

Romae, ex aedibus S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Uuiversitatibus, die VII mensis augusti anni MCMXVII.

CAIETANUS Card. BISLETI, *Praefectus.*
Ioseph Rossino, Substitutus.

ANNOTATIONES

1. Finis huius instructionis est indicare quaenam futura sit materia et methodus iuris canonici in Universitatibus et Lycaeis, quae S. C. de Seminariis et de studiorum Universitatibus subiacent.

Antequam Codex canonicus ederetur leges ecclesiasticae in maxime variis fontibus vagabantur, sc. in corpore iuris canonici, bullariis, collectionibus actorum SS. Pontificum et Congregationum, tum authenticis, tum privatis. Inter illas fere nullus ordo vigebat et, si recentes excipias praescriptiones, rationibus legis et historia miscebantur. Itaque a longo iam tempore methodus exegetica et lectio ipsorum fontium in schola erat derelicta ut expositioni systematicae locum daret. In non nullis athenaeis, ut in Universitate Gregoriana, studium iuris duplici absolvebatur schola, sc. Institutionum canonicarum et decretalium. In illa principia generalia de ecclesiastica societate et de legibus, in hac, quae schola textus vocabatur, variae partes regiminis ecclesiastici tradebantur.

2. Iam vero ope Codicis iuris canonici alia doctrinae pro-

ponendae methodo uti licebit, saltem in Universitatibus et lycaeis, ubi discipulis qui consuetum studiorum curriculum emensi sunt, totum ius canonicum enucleate proponitur.

Fac animadvertas a S. Congregatione scholam institutionum de medio non tolli. Peropportune enim in schola particulari principia generalia exponuntur, ad quae in variis iuris capitulis quasi continuo erit recurrendum. Materiam huius scholae Normae generales, quae libro primo continentur, apte praebebunt. Immo non nulli prooemium libri secundi, quod cc. 87-107 absolvitur, illi scholae tribuere cupient, cum notiones personae physicae et moralis singulis tractatibus videantur praeponendae. Tandem huic scholae in plerisque iuris canonici lycaeis deputatur explicatio iuris publici Ecclesiae principiorum, quae in Codice variis capitibus inseruntur ; v. g. cc. 100, 1260, 1322, § 2 ; 1352, 1375, 1495, 1553. 2214, etc. Textum autem compendiosum brevis historiae fontium in praefatione ab Em. Cardinali Gasparri composita invenient.

In schola textus, quae dicitur, reliquus Codex penitus copioseque praelegi potest, iuxta consilia hac instructione data. Studio singulorum institutorum praemittenda est expositio historica, sine qua ipsorum fontium sensum genuinum vix adipiscaris. Dein servato ordine ipsius Codicis, postquam synthetica titulorum ac capitum sententia erit proposita, singulorum canonum sequetur accurata analysis. Sunt enim illi, si instructiones SS. Congregationum addas, « authenticus et unicus iuris canonici fons ». Non vetatur quidem usus alius libri, cuius ordo tamen ordini Codicis omnino est accommodandus. Sunt tamen instituta quaedam canonica, quorum cognitio ex aliis libris erit haurienda, illa sc. iuris particularis quae in Codice vix attingi poterant. Exemplo sit apud nos tractatus de fabricis.

3. Licet instructio Universitates et Lycaea respiciat, in quibus canonice erectis gradus academici conferuntur, professoribus quoque Seminariorum optima praebet consilia. Etsi enim in illis systematica iuris expositio non aptior tantum, sed fere necessaria sit, non nulli tractatus, paucis additis vel in ordine mutatis, ex ipso Codice clare et complete proponi possunt, ut sunt tractatus de clericis in specie, de religiosis, de matrimonio, de delictis et poenis. Hac doctrinae forma imbuti sacerdotes, cum postea sibi relinquentur, libentius ipsi Codici manum admovebunt et commentariis summulisve sobrie simul ac fructuose utentur.

I. C., s. I.

32. — S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA (Sectio de Indulgentiis)

RESPONSUM 7 IUL. 1917

De Indulgentiis quoad fideles Ritus Orientalis

(A. A. S. 1 aug. 1917, 9, 399)

Cum quidam Episcopus Ritus Orientalis dubium proposuisset utrum fideles Rituum Orientalium lucrari possint omnes Indulgentias a Summo Pontifice universali decreto concessas, S. Paenitentiaria respondendum censuit : *Affirmative.*

Orientales lucrantur omnes indulg. decreto universali a R. P. concessas.

Quod responsum, in Audientia diei 6 vertentis mensis iulii ab infrascripto Card. Paenitentiario Maiore relatum Ssmus D. N. Benedictus divina Providentia Pp. XV approbare ratumque habere dignatus est, ac publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, in S. Paenitentiaria, die 7 iulii 1917.

Dies (7 iul. 1917).

Gulielmus Card. Van Rossum, *Paen. Maior.*
F. Borgongini Duca, S. P. Secretarius.

Annotationes

I. De ipso responsi argumento ut prius agamus, haec ratio dubitandi fuit, quod legibus disciplinaribus a Summo Pontifice latis fideles ritus orientalis non afficiuntur nisi id expresse caveatur. Quia tamen in praesenti causa de meris gratiis agitur, et, ex canone bene noto, favores ampliandi sunt, S. Paenitentiaria Orientales generalium indulgentiarum beneficio minime exclusos esse prudenter respondit. Accedit arta conexio inter forum sacramentale et usum indulgentiarum. Iam vero sacerdotes ab Episcopo loci probati, fideles cuiuslibet ritus absolvere possunt.

De solis indulgentiis a Romano Pontifice universali decreto concessis interrogatum est. Quaeri tamen etiam potest : 1. Utrum Orientales coronis benedictis, scapularibus uti possint quibus latini utuntur, ita ut easdem gratias spirituales consequantur. Quod videtur affirmandum, etiam quando cooptatio in confraternitatem requiritur. Id colligere posse putamus ex resp. S. C. Indulgentiarum, 21 iun. 1893, quo declaratur licere Magistro Generali Ordinis Praedicatorum ut, sine ulla speciali S. Sedis facultate, confraternitates proprias Ordinis, sicut in ecclesiis ritus latini, sic in ecclesiis ritus diversi, praevio tamen assensu Episcopi istius ritus, erigat (cf. Coll. Prop. Fidei, n. 1837). Cooptatio in confraternitatem ita minoris momenti est quam confraternitatis erectio, ut quod de hac dicitur magis de illa valere arbitremur.

2. Num Orientales inter peregrinos censeri possunt qui, ex consuetudine, indulgentias generales locales ab Episcopis concessas lucrantur ? Quod, ob factas rationes, affirmandum putamus.

II. Verum istud etiam notabile est, haberi hic primum exemplum, Actis Apostolicae Sedis contentum, modi quo S. Paenitentiaria dubia de indulgentiis solvit et divulgat. Etenim S. Paenitentiaria non est Congregatio romana. Coetum tamen habet cui nomen « Signatura », quem maiores officiales cum Cardinali Paenitentiario maiore componunt, ita tamen ut Cardinalis ipse solus res dirimat, ceteri vero votum consultativum habeant. Quare cum legis « S. Paenitentiaria respondit » intellege : Em^us Cardinalis, audita signatura respondit. — Praeterea S. Paenitentiaria res secreto agere solet, nec decreta condere potest. Quocirca interventus Pontificis qui responsum approbavit et publici iuris fieri mandavit, non frustra vel inconsulto expressis verbis adiectus videtur.

33. — S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA
(Sectio de Indulgentiis)

RESPONSUM 3-6 IUL. 1917

Circa altaria privilegiata et missas in eis celebrandas

(A. A. S. 1 sept. 1917, 9, 440)

Propositis S. Paenitentiariae Apostolicae dubiis :

Dubia. « 1. An privilegium Altaris applicari possit pluribus defunctis, pro quibus Missa celebratur ?

« 2. An recipi queant onera perpetua Missarum ad Altare privilegiatum celebrandarum ? »

Responsa. S. Tribunal, die 3 iulii, anno 1917, respondendum censuit :

« Ad 1^m *Negative*, prout iam decisum fuit a S. Congregatione Indulgentiarum, decretis dierum 29 februarii 1864 et 19 iunii 1880 ;

« Ad 2^m Recipi possunt, dummodo numerus Missarum, tam fundatarum quam adventiciarum, sit talis, ut ei commode satisfieri possit ».

Et in audientia, subsignata die, infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori impertita, Ss^mus D. N. D. Benedictus div. Prov. Pp. XV, has responsiones in omnibus approbavit, iussitque ut publici fierent iuris.

Dies (6 Iul. 1917). Datum Romae, in S. Paenitentiaria, die 6 iulii 1917.

Gulielmus Card. Van Rossum, *Paen. Maior.*
F. Borgongini Duca, S. P. Secretarius.

Annotationes

1. Responsum ad I, quo ad responsa anteriora remittimur, nobis opportunitatem praebet non nulla memorandi de appli-

catione indulgentiae altaris privilegiati. — Responsum 29 febr. 1864 refertur n. 402 inter decreta authentica, et satisfaciebat quaesito Andegavensi, his verbis expresso : « Utrum privilegium altaris, sive proprie dictum sive personale, applicari possit pluribus defunctorum animabus in cuiuscumque diei missa (servatis servandis), sicut expresse sed speciatim declaratum fuit a S. Congr. die 19 maii 1761 pro missa in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, die 2 novembris ? Et responsum est negative. — Inde PP. Trappenses, apud quos cotidie, ad altare privilegiatum pro fratribus, propinquis et benefactoribus defunctis celebratur, quaerere coeperunt quaenam esset praedicti altaris privilegiati apud ipsos efficacia : sitne privilegium inutile eo quod numquam uni animae determinatae applicetur ? — Et 14 iun. 1880 (*Decreta authent.* n. 451) rescriptum est apud ipsos quoque applicationem indulgentiae ad unam animam limitari ; neque ideo tamen privilegium inutile evadere.

2. De quaestione Andegavensi istud in primis observandum est, immerito supponi applicationem pluralem fuisse expresse concessam pro die 8 nov. Decretum enim quod allegatur et quod inter authentica reperitur n. 228, mere concedit omnes missas esse illa die privilegiatas ac si ad altare privilegiatum dictae sint. Verba decreti in Codice, can. 917, § 1 transumpta sunt (Cf. Beringer-Hilgers, *Die Ablaesse*, I, p. 565.) — Antiqua iam est haec theologorum persuasio, indulgentiam altaris ad unam tantum animam applicari ; idque, ut Consultor opinatus est, non tam defectu potestatis quam voluntatis in Pontifice concedente. (Cf. opus cit., I, 564.)

3. Sed iam quaeritur quo pacto indulgentia ista non sit inutilis cum missa pro pluribus dicitur. Sane ipse celebrans vel eleemosynam offerens applicationem ad unam animam facere potest, atque id est suadendum. Quid autem si non fecerit ? Censent tunc ab ipso Deo applicationem determinari, praesertim cum mere per modum suffragii, quod Deus acceptare potest vel non, indulgentia pro defunctis offeratur. Nullum enim est vestigium positivae rationis ut dicas indulgentiam tunc in partiales quae inter plures dividantur converti. (Cf. op. cit. I, 565, 566.)

4. Quando autem pro uno defuncto celebratur, indulgentia ipsi applicatur sine speciali intentione celebrantis. Missam enim esse per se privilegiatam et indulgentiam per se prodesse defuncto pro quo celebratur, etiam si sacerdos vel offerens nec de indulgentia nec de eius applicatione cogitaverit, responsum est 12 mart. 1855 (*Decreta auth.* n. 366) ; et Sectio de indulgentiis S. Officii, 17 iun. 1915, respondit

supra dictam declarationem plene vigere. (Cf. *Periodica*, t. 8, p. 213, n. 109.)

5. Alterum responsum (ad II) denuo demonstrat hanc sollicitudinem S. Sedis qua omnem improbat temerariam onerum acceptationem, sed omnino vult ut suscepta facile adimpleri possint. — Missae autem adventiciae eaedem sunt quae in Codice (c. 826) manuales vocantur.

---

34. — S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(Sectio de Indulgentiis)

RESPONSUM 22 OCT. 1917

Quo modo mutilati Indulgentias lucrari possint quibusdam actibus cultus annexas (A. A. S. 2 nov. 1917, 9, 539)

Beatissime Pater,

Dubium. *Henricus Genovesi, O. P., capellanus militaris nosocomii Gorlae I, in Mediolanensi archidioecesi, humillime exponit quae sequuntur.*

Multi mutilati signo Crucis se munire vel genua flectere coram Ss^mo Sacramento non possunt, et proinde privantur indulgentiis hisce cultus actibus annexis. Quam ob causum orator a Sanctitate Vestra enixe gratiam postulat ut praedictas indulgentias lucrari possint mutilati qui signum Crucis facere nequeunt, dummodo formulam recitent, et qui in genua provolvi non possunt, dummodo caput inclinent.

Et Deus...

Responsum. Ss^mus D. N. Benedictus Div. Prov. PP. XV, in audientia diei 19 vertentis mensis infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori impertita, perlibenter excipiens praemissas preces, concedere dignatus est ut indulgentias, pro quibus lucrandis recitatio precum una cum aliquo corporis actu iniungitur, quem mutilati peragere impares sunt, isti lucrari valeant fusis dumtaxat precibus. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (22 oct. 1917). Datum Romae in Sacra Paenitentiaria die 22 octobris 1917.

GULIELMUS Card. VAN ROSSUM, *Paenit. Maior.*
F. Borgongini Duca, Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Luctuosa belli calamitas occasio fuit privilegium istud concedendi mutilatis. Id iam demonstrat propensa voluntas qua misericors Pontifex gratiam largiri dicitur. Quia tamen verba sunt generalia, omnes mutilati favore isto fruuntur.

Immo, quia gratia ista late interpretanda est, valet quoque de iis qui non sunt mutilati quidem sed a nativitate membris quibusdam carent.

2. Dispensatio tamen circumscribitur his actibus corporalibus quos mutilati physice peragere nequeunt.

3. Alii rationi impedimenti occurri iam potest per amplam facultatem opera praescripta commutandi, quae c. 935 confessariis omnibus concessa est. Sed hi opus omissum alio opere compensare debent, dum mutilati ab actu corporali qui requiritur et quem peragere nequeunt prorsus dispensantur.

---

35. — S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

DECRETUM 14 DEC. 1917

Solvuntur dubia circa pium viae crucis exercitium et indulgentias eidem annexas rite lucrandas. (A. A. S. 2 ian. 1918, 10, 30)

Dubiorum.

Postquam, die 24 iulii 1912, a Suprema Sacra Congregatione S. Officii promulgatum fuit Decretum de Indulgentiis pio Viae Crucis exercitio annexis, non nulla dubia oborta sunt, quae Sacrae Paenitentiariae Apostolicae Tribunali solvenda sunt proposita; videlicet:

Dubia circa

I. Utrum praedictum Decretum abrogaverit etiam pias Uniones et pia Exercitia « Viae Crucis Perpetuae » et « Viae Crucis Viventis », cum indulgentiis quae eisdem respective sunt annexae ? *1. pias uniones « viae crucis »;*

II. Utrum abrogatio coronarum, quas vocant Viae Crucis, et cuiusvis concessionis, quae eas respiciat, se extendat etiam ad illas Viae Crucis coronas, quae ante abrogationis Decretum fuerant legitime benedictae, indulgentiis ditatae et fidelibus iam distributae ? *2. abrogationem coronarum « viae crucis »;*

III. An per idem Decretum censendus sit abolitus usus crucium vel crucifixorum, quibus per facultates speciales, cuicumque tributas, annexae fuerant indulgentiae Viae Crucis, lucrandae ab iis etiam qui nullo detinentur impedimento ab exercitio rite obeundo; et an huiusmodi cruces et crucifixi, qui fuerint iam benedicti et distributi, in posterum pro lucrandis indulgentiis valeant tantum in casu legitimi impedimenti ? *3. cruces et crucifixos cum indulgentiis « viae crucis »;*

IV. Utrum in usu crucifixorum cum annexis indulgentiis Viae Crucis rite benedictorum, ad indulgentias lucrandas, requiratur Passionis Dominicae meditatio, vel saltem pia eiusdem recordatio; an sola sufficiat statutarum precum recitatio, viginti nempe *Pater* cum totidem *Ave, Maria,* et *Gloria ?* *4. usum crucifixorum « viae crucis »;*

V. An laudato Decreto abrogata fuerint etiam Indulta, quibus confessariis aliisve concessa est facultas impeditis commutandi preces iniunctas in alia pia opera ? *5. facultates confessariorum in hac re;*

VI. An eodem Decreto abolitae sint etiam illae concessiones, quibus permittitur, in stationibus singulis rite visitandis, ut multitudo populi fidelis in suo loco consistat, ibique pro qualibet statione assurgat tantum et genuflectat ? *6. viam crucis cum multitudine populi.*

Responsa. Et Sacra Paenitentiaria respondendum censuit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative* ad utramque partem.

Ad IV. *Affirmative* ad primam partem ; *Negative* ad secundam.

Ad V. *Negative*, dummodo usus crucifixi benedicti non omittatur, et aliqua saltem addatur pia Passionis Dominicae memoria.

Ad VI. *Negative*, si agatur de publico exercitio in ecclesia, quod a multitudine fidelium in communi peragatur.

Quae responsa, in audientia diei 7 decembris vertentis anni ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori relata, Ssmus D. N. Benedictus div. Prov. Pp. XV approbare rataque habere, contrariis quibuscumque non obstantibus, dignatus est, ac publici iuris fieri mandavit.

Dies (14 dec. 1917). Datum Romae in S. Paenitentiaria, die 14 decembris 1917.

GULIELMUS M. Card. VAN ROSSUM, *Paen. Maior.*

F. Borgongini-Duca, S. P. Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Decreto 24 iul. 1912, quod praesentibus dubiis occasionem dedit, hunc finem assignavimus in *Periodica*, t. 6, p. 270, postquam p. 269 decretum exscripsimus : « Ut recentes modi supplendi pium viae crucis exercitium aboleantur et prior disciplina restituatur qua, ad lucrandas « viae crucis indulgentias », personae non impeditae exertium ipsum facere, impeditae vero coram specialiter benedicta SS. Crucifixi imagine, statas preces recitare debebant ». Hinc pleraque responsa modo data satis commode explicantur.

2. Ad I. Pia Unio *viae crucis perpetuae*, hunc finem sibi proposuit ut socios congregaret qui viam crucis, alii singulis hebdomadis, alii singulis mensibus, stata die peragerent, ita ut quavis die et hora perpetuo via crucis alicubi peragaretur. (Cf. Beringer-Hilgers, *Die Ablaesse*, II, p. 94). Hinc perspicitur nullam rationem esse cur de perseverantia indulgentiarum quae ipsi consociationi concessae sunt dubitetur. — Prima specie difficultatem paulo maiorem facit pia Unio « *viae crucis viventis* ». Haec enim socios congregat qui singuli, coram imagine Crucifixi, in hunc finem specialiter benedicta, mysterium unius tantum stationis pie considerant, addendo ter Pater, Ave et Gloria Patri, etc. (Cf. op. c. p. 95-96). Quia tamen proprias tantum indulgentias, non autem ipsas « viae crucis » indulgentias lucrandas offert, eandem decreto 1915 nullatenus attingi satis manifestum est. Decretum 1915 de solis « viae crucis » indulgentiis agit.

3. Ad II. Cum ipsae factae concessiones decreto 1915 revocentur, ipsas iam ante benedictas coronas « viae crucis » abrogari, intelleximus in nostro commentario, *Periodica*, t. 6, p. 271, 3.

4. Ad III. Hoc etiam rationabilis interpretatio dicti decreti ferebat, ut rite ex aliqua facultate benedictae crucifixi imagines non ex toto inutiles fierent sed solis impeditis personis prodessent. Cf. nostram commentationem, l. c. n. 4.

5. Ad IV monemur, piam saltem passionis dominicae recordationem, praeter recitationem precum vocalium, postulari ut ipsae personae impeditae indulgentias « viae crucis » cum crucibus benedictis lucrentur.

6. Ad V. Hoc responso utiliter docemur quid tamquam magis substantiale in commutatione servandum sit. Id est : nec usus crucifixi benedicti, nec aliqua memoria dominicae passionis omitti possunt. Sed infirmo possit confessarius indulgere ut v. g. solum *Anima Christi* recitaret.

7. Ad VI. Nihil immutatum esse in ratione qua commune exercitium in ecclesia peragi potest, per se quoque perspicitur.

8. In fine, liceat denuo optare ut perspicuo modo definiantur indulgentiae quae ipsi exercitio viae crucis annexae sunt. Res enim valde incerta est. Cf. Periodica, t. 6, p. 271, 70.

---

36. — S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

RESPONSUM 1 MART. 1918

De indulgentiis annexis piae praxi consecrandae familiae sacratissimo Cordi Iesu (Vulgo « Inthronizatio »)

(A. A. S. 1 apr. 1918, 10, 154)

Indulgentiae concessae a° 1908 familiis se SS. Cordi devoventibus,

petentibus Episcopis reip. Chilensis,

Die 19 maii 1908, Pius X s. m. omnibus fidelibus, qui certa adhibita formula familiam sacratissimo Cordi Iesu consecrarent, concessit : 1° indulgentiam plenariam, die quo hanc consecrationem peragerent, consuetis impletis condicionibus lucrandam ; 2° item indulgentiam plenariam deinceps singulis annis, renovata formula consecrationis consequendam. Anno 1913, ab eodem Summo Pontifice novae indulgentiae concessae sunt. Supplicabant scilicet Episcopi Reipublicae Chilensis : « Beatissime Pater, — Archiepiscopus S. Iacobi de Chile ceterique omnes « eiusdem Reipublicae Praelati Ordinarii, ad pedes S. V. provoluti humiliter exponunt : Non multo abhinc tempore et magno animarum fructu « exsistit in Republica Chilena pia praxis consecrandi domos SS. Cordi « Iesu, hoc nimirum modo : Praemonitis habitantibus domus, statuta « die, parochus vel alius sacerdos benedicit imaginem SS. Cordis Iesu, « quam collocat in praecipuo loco, brevem habet contiunculam et recitat « cum tota familia quandam reparationis et consecrationis formulam. « Si sacerdos adesse non potest, imago prius benedicta collocatur, « et formula recitatur ab aliqua saeculari persona. Cum vero multa « bona fluant ex hac pia praxi, omnes supradicti Oratores a S. V. « petunt ut, quo magis fructus augeatur, illam indulgentiis ditare dignetur. « Et Deus, etc. ».

auctae sunt a° 1913

Cui quidem supplici libello responsum fuit : « Die 24 iulii 1913. — « Ssmus D. N. D. Pius div. Prov. Pp. X, per facultates D. Card. Secre- « tario S. Officii impertitas, sequentes indulgentias pro Chilenae Reipu- « blicae dioecesibus benigne concedere dignatus est, nempe : 1° Septem « annorum totidemque quadragenarum ab universis familiae membris « lucrandam, die quo instituitur in propria domo pia praedicta praxis, « si corde saltem contrito ac devote memoratae caerimoniae astiterint ; « 2° Plenariam, si insuper eadem die confessi ac s. synaxi refecti iidem « fideles aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint « ibique ad mentem Summi Pontificis pias preces fuderint ; 3° Trecen- « torum dierum, item a membris familiae lucrandam quotannis die anni- « versario huiusmodi institutionis in propria domo, si coram imagine « actum consecrationis renovaverint. Praesenti ad decennium valituro. « Contrariis quibuscumque non obstantibus. — De mandato D. Card. « Secretarii Aloisius Giambene, Subst. pro Indulgentiis ».

et extensae ad universum Orbem a° 1915.

Has Indulgentias Ssmus D. N. Benedictus div. Prov. Pp. XV, epistola diei 27 aprilis 1915, [1] ad omnes Orbis catholici familias benigne extendit.

Porro a S. Tribunali Paenitentiariae Apostolicae, cui res universa de indulgentiis demandata est, quaesitum fuit :

Dubia.

1. De ritu consecrationis ;

1° Utrum ad lucrandas indulgentias piae praxi annexas, necessario in singulis domibus, familiae SS. Cordi Iesu per sacerdotem consecrari debeant, an liceat, adunatis familiis, caerimoniam in ecclesia instituere, ubi cum maiore sollemnitate et devotione res peragitur ?

2. ubi non est copia sacerdotis ;

2° Quando iudicandum sit, sacerdotem adesse non posse, ita ut imago SS. Cordis Iesu, prius benedicta, ab aliqua persona saeculari collocari et formula consecrationis recitari possit ?

3. de formula adhibenda.

3° Utrum ad lucrandas indulgentias piae praxi annexas requiratur ut consecrationis formula, Rescripto diei 19 maii 1908 stabilita, [2] adhibeatur ?

---

[1] *Acta Ap. Sedis*, vol. VII, pag. 203.

[2] ATTO DI CONSACRAZIONE DELLA FAMIGLIA AL SS.MO CUORE DI GESÙ.

O sacro Cuore di Gesù, che avete manifestato alla beata Margherita Maria il desiderio di regnare sulle famiglie cristiane, veniamo oggi a proclamare il vostro più assoluto dominio sulla nostra. Noi vogliamo vivere d'ora innanzi della vostra vita, vogliamo far fiorire nel nostro seno le virtù alle quali avete promesso la pace quaggiù, vogliamo tener lontano da noi lo spirito mondano che avete maledetto. Voi regnerete sul nostro intelletto per la semplicità della nostra fede, sui nostri cuori per l'amore senza eccezioni di cui arderanno per Voi e di cui terremo viva la fiamma accostandoci frequentemente alla vostra divina Eucaristia. Degnatevi, o divin Cuore, di presiedere le nostre riunioni, di benedire le nostre imprese spirituali e temporali, di allontanare i nostri affanni, di santificare le nostre gioie, di sollevare le nostre pene. Se mai alcuno di noi avesse la disgrazia di darvi afflizioni, rammentategli, o Cuore di Gesù, che Voi siete buono e misericordioso col peccatore che si pente. E quando suonerà l'ora della separazione, quando la morte verrà a gettare il lutto in mezzo a noi, tutti tra noi, quelli che partono e quelli che restano, saranno sottomessi ai vostri eterni decreti. Ci consoleremo pensando che verrà un giorno, in cui tutta la famiglia, riunita in Cielo, potrà cantare per sempre le vostre glorie ed i vostri benefici. Si degni il Cuore immacolato di Maria, si degni il glorioso Patriarca S. Giuseppe presentare a Voi questa consacrazione e tenercela presente in ogni giorno di nostra vita.

Viva il Cuore di Gesù, nostro Re e nostro Padre!

(*latina versio*)

FORMULA CONSECRATIONIS FAMILIAE SS. CORDI IESU.

O sacratissimum Cor Iesu, Tu beatae Margaritae Mariae desiderium regnandi super christianas familias pandidisti : ecce ut Tibi placeamus adsumus hodie, ut plenum tuum super nostram familiam imperium proclamemus. Volumus deinceps tuam vitam

4° Utrum indulgentia trecentorum dierum, de qua in Rescripto diei 24 iulii 1913, taxative annexa sit diei anniversario consecrationis familiae ?

4. de indulgentia in anniversario consecrationis.

Et S. Tribunal, die 26 februarii 1918, respondendum censuit :

Responsa.

Ad 1m *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad 2m Iudicium de hac re prudenti iudicio Ordinarii loci remittitur.

Ad 3m *Affirmative.*

Ad 4m Indulgentia haec lucrifieri potest singulis annis quo die, coram SS. Cordis Iesu imagine, actus consecrationis renovatur.

Quae omnia, subsignata die, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori relata Ssmus D. N. Benedictus divina Providentia Papa XV confirmare et rata habere dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in S. Paenitentiaria, die 1 martii 1918.

Dies (1 mart. 1918).

Gulielmus Card. Van Rossum, *Paenit. Maior.*
F. Borgongini Duca, Secretarius.

Annotationes

1. Responsio ad 1, respicit *piam praxim* supra descriptam et quae propriis indulgentiis a Pio X ditata est. In his indulgentiis concedendis S. Pontifex diserte supposuit consecrationem in singulis domibus perfici ita ut responsio dubia esse nequiverit. Verum duae priores indulgentiae in monumento isto memoratae non piae praxi sed usui definitae formulae annexae sunt. Quare ad has lucrandas, consecratio, nostra sententia, ubique peragi potest. Formula porro ipsa inventa est a R. P. Congreg. SS. Cordium (Picpus) Belgicae provinciae, cui nomen, Ladislaus Vanheuverswyn ; et, diffusa est ante quam pia praxis P. Matthaei Crawley-Bouvey inventa est. (Cf. opus nostrum *Pratique et Doctrine de la dévotion au Sacré-Cœur,* 1919, t. 1, p. 352, ss.).

3. Vis istius responsi, quo iudicium de impedimento sacerdotis Ordinario committitur, haec esse videtur, ut possit Ordinarius, attenta v. g. penuria sacerdotum in aliquo

---

vivere, volumus in sinu familiae nostrae florere virtutes, quibus Tu in terris pacem promisisti, volumus longe arcere a nobis spiritum mundi, quem Tu damnasti. Tu regnabis in mente nostra fidei nostrae simplicitate, in corde nostro Tui solius amore, quo flagrabit erga Te et cuius vivam servabimus flammam frequenti divinae Eucharistiae receptione. Dignare, Cor divinum, nobis praeesse in unum convenientibus, benedicere negotiis spiritualibus et temporalibus, arcere molestias, sanctificare gaudia, poenas levare. Si quando misere quis nostrum in tantam aerumnam inciderit ut Te affligat, fac in memoriam illi redigas, Cor Iesu, Te cum peccatore, quem paenitet, plenum esse bonitatis et misericordiae. Et cum hora separationis insonuerit et mors in familiae nostrae sinum luctum intulerit, nos omnes, sive abeuntes sive manentes, tuis aeternis decretis nos subiciemus. Hoc solacio erit nobis, animo recogitare venturum esse diem, in quo tota familia nostra, in caelo coniuncta, tuam gloriam, tua beneficia in aeternum cantare poterit. Dignetur Cor immaculatum Mariae, dignetur gloriosus Patriarcha sanctus Ioseph Tibi hanc consecrationem offerre, eiusque vivam in nobis singulis diebus vitae nostrae conservare memoriam.

Vivat Cor Iesu, Regis et Patris nostri !

loco, generaliter declarare, ibi sufficere ut collocatio statuae et recitatio formulae a persona saeculari peragi possit. — Si autem, in casu particulari, manifestum sit sacerdotem adesse non posse declaratio Ordinarii non erit necessaria. Etsi parochus in uno documento nominetur, expresse dicitur benedictionem imaginis et consecrationem sollemnem familiae a quolibet sacerdote peragi posse.

3. Responsio ad III re vera novam condicionem introducit quam privatus interpres suspicari non potuisset. Usum enim exigit formulae quae piae praxi est anterior et iam propriis indulgentiis ditata est. Simul constat hanc solam formulam esse essentialem et alias preces vel protestationes, intactis indulgentiis omitti posse.

4. Responsio ad IV, contra, non iam postulat tamquam condicionem, ut renovatio consecrationis ipsa die anniversaria primae consecrationis instituatur, sed quaevis dies magis opportuna vel commoda eligi potest. Neque huic renovationi sacerdos adesse debet.

---

37. — S. PAENITENTIARIAE APOSTOLICAE (Sectio de Indulgentiis)

ACTA SUMMATIM RELATA

Indulgentiis ditantur variae preces : in formula concessionis fere semper leguntur verba : «corde saltem contrito et devote recitantibus ».

Oratio : ad S. Pasch. A. In honorem *S. Paschalis Baylon :* sc. responsorium versibus concinnatum, cum versiculo, responso et oratione. (3 aug. 1917, A. A. S. 2 ian. 1918, 10, 28).

ad Iesum B. *Actus adorationis I. C.* ex testamento S. Franc. Assisiensis, « Adoramus Te, sanctissime Dne I. Christe, hic et ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi ; quia per sanctam crucem Tuam redemisti mundum. » (7 ann. 7 quadrag. iis « qui actum... supra relatum flexis genibus elicuerint, sive eccles. vel publicum aut semi-publ. oratorium ingredientes, sive inde exeuntes, qualibet vice ; iis vero qui, confessi ac S. Synaxi refecti, id per mensem integrum, semel saltem in die, peregerint, plen. indulg. »). (3 aug. 1917, ibid. p. 29).

ad Sanctum de quo missa C. Oratio *ad Sanctum* in cuius honorem *missa* celebrata est, quae in « Precibus post missam » invenitur, ind. 100 dierum, semel in die, ditatur pro sacerdotibus, qui, peracto Ss. Missae sacrificio, eam recitaverint (16 nov. 1917, ibid. p. 30).

ad Xm in cruce D. Oratio in honorem *Christi crucifixi*, a S. Paulo a Cruce enixe commendata : « Signore, vi ringrazio che siete morto in croce pei miei peccati » CCC dierum ind., semel in die. (18 ian. 1918, A. A. S. 1 apr. 1918, 10, 151). (Vers. lat. « Domine, gratias ago Tibi quod in cruce pro meis peccatis mortuus es »).

ad ang. cust. E. Oratio ad *S. Angelum custodem*, a B. Ludovica de Marillac usur-

pari solita, quotiens in itineribus aliquam conspiceret ecclesiam : « O mon cher Ange, allez, je vous en conjure, où mon Jésus repose ; dites à ce divin Sauveur que je l'adore et que je l'aime de tout mon cœur. Invitez cet adorable Prisonnier d'amour à venir dans mon cœur, à y fixer son séjour. Ce cœur est trop petit pour loger si grand Roi, mais je veux l'agrandir par l'amour et la foi. » Ind. CCC dier. quotiens in iisdem adiunctis recitatur. (1 febr. 1918, ibid. p. 152).

F. Oratio *pro conversione Iaponiae* ad B. M. Virginem « O Maria, fulgida stella, etc. maioribus indulg. ditatur. (26 febr. 1918, ibid. p. 153). *pro Iaponia*

G. Oratio in hon. *SS. Cordis Iesu :* « Cœur Sacré de Jésus, soyez connu, soyez aimé, soyez imité » ind. 300 d. semel in die. (ibid. p. 157). *ad SS. Cor*

I. Creusen, s. i.

---

38. — SACRAE ROMANAE ROTAE

I. *CAUSAE MATRIMONIALES*

A. *Matrimonia de quorum nullitate constare declaratum est.*

1. Die 20 oct. 1916, definitiva sententia confirmata est sententia 16 aug. 1915, quae nullum propter *vim et metum* reverentialem declaravit matrimonium *Liberatae Santelli* et *Torquati Stettiner*. Causa *Pitilianen.* Duo tamen testes : syndacus et parochus negabant coactionem ; sed praeferendi dicuntur testes familiares. (A. A. S. 2 iul. 1917, 9, 356-362). *Ex vi et metu.*

2. Die 11 dec. 1916, in causa *Parisiensi* S. Rota, sententiam curiae Parisiensis 28 sept. 1915, confirmans, nullum declaravit matrimonium *Marcellinae Vergne* cum *Ludovico Levoye*, ex *metu reverentiali mixto.* De natura requisiti metus disseritur, p. 465. (Causa introducta est post viginti annos a contracto matrimonio. Cohabitatio per sex annos duraverat). Observes in causis difficilis probationis, praesertim in metu probando, admitti testes de auditu ; et quando impedimentum metus publicum est aut in iudicio probari potest, metum non purgari nisi per renovationem consensus coram parocho, ubi haec forma matrimonii servanda est. Cf. pp. 469, 470. (A. A. S. 1 sept. 1917, 9, 464-471). *Ex vi et metu.*

3. Die 10 febr. 1917, S. Rota, sententiam *Vicariatus Apostolici Ce-li centralis* confirmans, nullum declaravit matrimonium inter *Mariam Liou* et *Iosephum Shia* tum propter *defectum consensus ;* tum propter *defectum testium* qui consensum (si fuerit) attestari possint ; tum propter *metum reverentialem mixtum.* Actrix mere vim et metum allegaverat, sed ipsi auditores alia media nullitatis introduxerunt. De testibus requisitis et modo quo consensum percipere debeant, utiliter disseritur, pp. 504 et 507. (A. A. S. 1 oct. 1917, 9, 503-509). *Ex defectu consensus, testium et ex vi et metu.*

4. Die 30 april. 1917, definitiva sententia S. Rota nullum ex metu reverentiali mixto declaravit in causa *Massiliensi* matrimonium *Henricae Dor* et *Alfridi Barat.* Observes p. 575 metum gigni posse sine vi exteriore, per suasiones et preces importunas ; et violentiam praesumi ubi et repugnantia et animi aversio exsistant. (A. A. S. 1 dec. 1917, 9, 574-579). *Ex vi et metu.*

5. Die 2 april. 1917, in causa *Lugdunensi*, S. Rota sententiam curiae *Ex vi et metu.*

Lugdunensis confirmans, nullum ex metu reverentiali mixto declaravi matrimonium *Margaritae Guenard* et *Iosephi Iavelle*. In causae expositione, occurrunt solitae observationes de impedimento metus, de praesumpta violentia quando repugnantia probatur, de qualitate testium, etc. (A. A. S. 1 feb. 1918, 10, 70-76).

B. *Matrimonia de quorum nullitate non constare declaratum est.*

Allegabatur metus.

1. Die 1 aug. 1916, in causa Mediolanensi, confirmata est sententia 8 april. 1915 quae, sententiam curiae Mediolanensis infirmans, declaravit non constare de nullitate propter vim et metum matrimonii quod *Maria Ambrosini-Spinella* cum *Iulio Garibaldi* contraxerat Mediolani a° 1907. Itinere voluptario completo mulier maritum in domum propriam sequi noluit. A civili tribunali Mediolanensi separationem personalem obtinuerunt; dein, assumpta nationalitate Hungarica, vir obtinuit ut suum matrimonium nullum declararetur quia ab uxore derelictus esset. Quae sententia, pro civilibus effectibus a curia appellationis Mediolanensi recognita est. Nunc mulier contendebat nullum esse matrimonium ex metu, quia mulieres quaedam ipsi matrimonium istud obtrudissent ut quasi inconscia omnia perfecisset. A p. 458 de condicione metus gravis disseritur. (A. A. S. 1 sept. 1917, 9, 441-463).

Allegabatur metus.

2. Die 9 mart. 1917, in causa *Tarvisena, nullitatis matrimonii*. S. Rota, infirmans sententiam Venetiarum, negavit constare de nullitate propter vim et metum matrimonii *Virginiae Marchese* et *Attilii Granzotto*. Actrix asserta falsa pronuntiavit; metus non videbatur gravis nec iniustus, cum parentes potius urgere voluerint sponsalia libere facta. (A. A. S. 1 mart. 1918, 10, 108-118).

Allegabatur metus.

3. Die 5 iun. 1917, in causa *Lugdunensi*, nullitatis matrimonii, S. Rota, sententiam curiae Lugdunensis confirmans, declaravit non constare de nullitate, propter vim et metum, matrimonii *Claudii Cortay* et *Ludovicae Perroudon*. De metu sufficiente n. 2-7 disseritur. Notabilia sunt quae n. 8 ponuntur de modo quo defectus sanari potest, et de quaestione utrum necne possit vir metum alterius partis allegare pro nullitate. (A. A. S. 1 april. 1918, 10, 158-169).

II. *ALIAE CAUSAE*

C. *Restitutionis in integrum.*

Negatur restitutio in integrum.

Die 18 aug. 1916, S. Rota declaravit *constare de re iudicata*, et *non esse locum restitutioni* in integrum, adversus sententiam curiae *Novariensis*, quae parocho S. Michaelis, *Ioanni Pellagatta ius* agnoverat pertinendi ad antiquam Congregationem parochorum quae ibi a saec. XI exsistit. Appellabat vel restitutionem in integrum postulabat parochus S. Agabii *Vincentius Bairate* cum Congregatione parochorum.

Observationes notabiles.

Notanda sunt quae in causae expositione proponuntur de computatione dierum pro appellatione, ubi tamen regula allegatur quam dein Codex infirmavit. Computandus enim dicitur dies a quo, dum c. 34, § 3, n° 3, expresse « decendium ad appellandum » affertur tamquam exemplum spatii temporis in quo primus dies *non* computatur. Erudite ostenditur restitutioni in integrum seu actioni ad integrandam causam contra lapsum

fatalium tunc tantum locum esse, cum pars victa sententiam fuisse iniustam demonstrat. (A. A. S. 1 aug. 1917, 9, 400-411).

D. *Dismembrationis.*

Legitima dismembratio.

1. Die 23 april. 1917, in causa *Lucana Dismembrationis*, S. Rota iudicavit constare de legitima dismembratione qua parochia filialis loci Celle constituta est, eam a parochia loci Gello separando, propter incommodum iter et perpetuas dissensiones inter utrumque populum ; simul statuit nihil ab ecclesia matrici tribuendum esse novae parochiae. Iustae causae dismembrandi erudite et perspicue exponuntur pp. 510-512 ; de attributione bonorum, observes sententiam latam esse ante Codicem. (A. A. S. 1 oct. 1917, 9, 509-516).

Observationes notabiles.

Decretum de lite finita.

2. Die 22 iun. 1917, S. Rota *decretum* tulit *de lite finita*, quia ambae partes, quae a sententia Rotali 5 aug. 1914 de legitime facta *dismembratione* paroeciae *Dominae Nostrae du Lac*, dioecesis Londonensis (Canada) appellaverant, appellationi renuntiarunt. Pars quae prior renuntiat sola per se fert expensas, sed admissus est spontaneus alterius partis consensus ut expensae compensarentur. Turnus quoque correxit errorem de patria cuiusdam sacerdotis. Errores huiusmodi materiales a turno qui sententiam protulit corrigendi sunt (Regulae S. Rotae, § 174, n. 2), quando nondum per appellationem a iurisdictione turni iudicantis subductae sunt. Hic a longo tempore causa in iurisdictionem alterius turni transierat. (A. A. S. 1 sept. 1917, 9, 472-474).

A quonam expensae solvendae, errores materiales corrigendi sunt ?

E. *Locationis.*

Obligationes locantis inculcantur, in pactione quae valida declaratur.

Die 27 april. 1917 (p. 540 l. c. mendose indicata est dies 22 april. 1911) in causa *Biturgensi locationis*, inter sacerdotem-canonicum et capitulum cathedralis ecclesiae Biturgensis sententiam tulit, qua valere declaravit sententiam curiae episcopalis, obligationes locatoris capitulo inculcavit, reficiendis tamen damnis locum non esse simul pronuntiavit ; et capitulum ad expensas iudiciales solvendas damnavit, exclusis tamen honorariis patroni adversi.

Observationes notabiles.

Haec porro notanda veniunt : a/ Ad quaenam elementa nullitatis sententiae anterioris S. Rota attendere possit (n. 5-7) ; — b/ Quaenam sint, quandonam et quomodo proponendae sint causae recusandi iudicem (n. 9-11) ; — c/ Quomodo valeat sententia principalis, si ab interlocutoria non sit appellatum (n. 13) ; — d/ Quodnam ius sit replicandi, post primam defensionem (n. 15) ; e/ Quaenam sit natura et vis contractus locati-conducti (n. 17-21 ; n. 27) ; f/ *Quo pacto hodierno iure civili ius canonicum suppleri possit* (n. 22, 23) ; — g/ Quomodo lucrum cessans aestimandum non sit in pactione quae non lucri causa inita est (n. 36). (A. A. S. 2 nov. 1917, 9, 540-556).

F. *Iurium.*

De iure dato ab episcopo in ecclesia parochiali.

Die 31 maii 1917, in causa *Placentina iurium*, inter praepositum parochialis ecclesiae, et canonicum honorarium qui, ex episcopi mandato, confessiones in ista ecclesia audiebat et sacra peragebat pro legatis paroeciae annexis, S. Rota, confirmans sententiam curiae Placentinae,

declaravit verum ius, respectu parochi, dicto canonico ex delegatione episcopali competere.

Observationes notabiles.

Notanda sunt quae (pp. 581. 582. 587) dicuntur de potestate episcopi et parochi in regimen ecclesiarum paroecialium ; (p. 584) de interpretatione verborum mandati ab episcopo, quae meram facultatem factam sonare videbantur ; (p. 585) de probatione per instrumentum quod simul sit privatum sed authenticum. (A. A. S. 1 dec. 1917, 9, 580-588).

G. *Desertae appellationis.*

De appellatione quae deserta censetur.

Die 7 maii 1917, in causa *Portuensis et S. Ruffinae*, incidentis, S. Rota declaravit sustineri decretum de appellatione deserta, quod 5 febr. 1917 tulit Ponens turni. In causa quadam agitata inter capitulum et archipresbyterum, canonici a sententia iudicis delegati ab Emo Ordinario Portuensi, die 24 dec. 1915, appellarunt, sed dein per totum annum 1916 nullo actu appellationem prosecuti sunt. Quare Ponens, ab archipresbytero rogatus, appellationem desertam esse et sententiam prioris iudicis in rem iudicatam transiisse declaravit.

Observationes notabiles.

In causae expositione disseritur de impedimentis quae excusant appellantem a prosequenda appellatione et de modo quo constare debent (pp. 33. 34). — P. vero 37 notabilia exempla occurrunt capitulorum ubi ius ad duos vel unum canonicum superstitem devolutum est. (A. A. S. 2 ian. 1918, 10, 32-38).

III. *CAUSAE ACTAE SUB SECRETO*

In A. A. S. 1 mart. 1918, 10, pp. 119-122 memorantur causae actae sub secreto a mense ianuario ad decembrem 1917. Sunt autem :

I. *Causae nullitatis matrimonii.*

Causae matrimoniales.

1. Duae ex capite *visi et metus*. Die 23 iun. 1917 et 24 nov. 1917 declaratum est constare de nullitate.

2. Tres *ex impotentia viri :* 17 aug. 1917, declaratum est de nullitate matrimonii ; — die 18 aug. 1917, consilium praestitum est SSo dispensandi super rato et non consummato, vetito Domino X. Y. transitu ad alias nuptias nisi consulta primo S. Sede ; — 19 nov. 1917 confirmata est sent. rotalis 18 iul. 1916.

3. Duae ex *impotentia mulieris*. Die 17 feb. 1917 confirmata est sent. rotalis 3 febr. 1916.

4. Una ex *condicione non impleta*. Die 27 mart. 1917, confirmata est sent. rotalis 13 feb. 1915.

5. Uno ex *condicione turpi* apposita. Die 3 apr. 1917, infirmata est sent. rotalis 15 dec. 1915.

Recursus factus est ad supremum S. Signaturae Tribunal. — Causa tertium rediit coram tribunali S. Rotae. Sed prima tantum vice ex vi et metu, de quo 29 nov. 1913 responsum est non constare de nullitate.

II. *Aliae causae.*

Aliae causae.

1. Die 17 iul. 1917 declaratum est sustineri *poenam* statutam per sententiam Curiae X.

2. Una causa *iurium*. De iure patronatus. Die 27 aug. 1917, reformatur sent. rotalis 27 mart. 1917. Quaedam honorifica et etiam facultas functiones non parochiales peragendi in eccl. S. T. sed non ius patronatus competere sacerdoti X. Y. declaratum est. Expensae compensantur.

3. Duae causae *diffamationis et refectionis damnorum*. Die 11 aug. 1917 infirmata est sent. rotalis 31 iul. 1916. A sententia appellatum est. — Die 10 iul. 1917 declaratum est Parochum M. D. non esse reum delicti diffamationis erga clericum S. T. Reiecta est proposita confrontatio Vicarii generalis et testis.

4 *Diffamationis*. Die 20 nov. 1917 declaratum est non constare de nullitate sententiae appellatae. Constare de diffamatione, locum esse poenis et refectioni damnorum. Ad criminis vindictam Dnus X. Y. tenetur exercitiis spiritualibus vacare per integrum mensem in domo religiosa et summam... solvere pro expensis cultus in favorem fabricae parochialis ecclesiae loci A.

39. — SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

CAUSAE SUMMATIM RELATAE

De conventione inter parochum et sodalitatem.

A. Die 11 mart. 1917, Emus Card. Praefectus in congressu reiecit recursum cuiusdam sacerdotis qui prius adversus sententiam Rotalem, ac dein adversus decisionem Signaturae in Congressu ad plenarium Signaturae coetum causam deferre volebat. Agebatur de causa *Florentina, iurium de sepulcris sive nullitatis sententiae rotalis*, i. e. de contractu societatis inito inter parochum et sodalitatem, ad exstruendum in coemeterio paroeciae sepulcretum in forma columbarii, ita ut communia essent impendia et lucra. Successor quidam parochi pactionem nullitatis arguebat; sed rem evincere non potuit. Momento digna sunt quae p. 519 de modo quo sodalitas virtualiter agnosci possit; p. 520 de effectu actus quo gubernium civile denuntiat concordatum notantur. Ac praecipue observanda est ratio qua necessitas *beneplaciti apostolici* in alienandis terrulis a S. Rota intellegebatur, et qua benignior opinio de ista necessitate ut magis consentanea rationi perhibetur, pp. 522-524. Observes in summaria relatione quae causae expositionem praecedit nomen sacerdotis *Sanctis Binazzi* ut recurrentis, ex errore irrepsisse, cum sacerdos iste anno 1880 mortuus sit et discidium anno 1908 exortum sit. (A. A. S. 1 oct. 1917, 9, 517-525).

Observationes notabiles.

De causa incidentali.

B. Die 18 maii 1917, in causa *Manilensi, circumscriptionis seu super decreto de interim exsequendo*, Em. Card. Lega, in Congressu, reiecit recursum contra sententiam incidentalem qua Turni Ponens ex officio iussit sententiam quandam appellatam exsecutioni mandari. In motivis decisionis, regulae propriae S. Rotae numerantur et declarantur. Notandum est ibi p. 42, in materia canonica, quae saepius communem utilitatem attingit, negari applicationem iuris civilis, praeterea, p. 42. 44, cum communitas religiosa sit quasi persona minor, Ponentem ex officio agere potuisse ut supplentem defectum *instantiae* quae pro communitate fieri debuisset. (A. A. S. 2 ian. 1918, 10, 39-44).

Observationes notabiles.

40. — COMMISSIO CODICI INTERPRETANDO

RESPONSUM 9 DEC. 1917

De dubiorum solutione. (A. A. S. 1 febr. 1918, 10, 77)

A quibusnam proposita dubia admittantur.

Commissio a Summo Pontifice instituta ad Codicis canones authentice interpretandos, in plenario coetu die 9 dec. 1917 habito, statuit respondendum esse tantum dubiis propositis ab Ordinariis, a Superioribus maioribus Ordinum et Congregationum religiosarum, etc., non vero iis quae proponantur a privatis personis, nisi mediante proprio Ordinario.

Dies (9 dec. 1917).

Romae, 9 decembris 1917.

P. Card. Gasparri, *Praeses.*
Aloisius Sincero, Secretarius.

Annotatio

Dispositio qua non ad omnis privatae personae petitionem satisfit, SS. CC. satis communis est et manifesta ratione comprobatur. Ne Commissio quaesitis saepe nugatoriis obruatur, oportet ut, transeundo per proprium Ordinarium oratorum, Superiorem religiosum vel Ordinarium loci, petitiones, saltem tacito huius assensu, dignae repertae sint quae proponantur.

---

41. — COMMISSIO CODICI INTERPRETANDO

RESPONSA 17 FEBR. 1918

De lege abstinentiae et festis suppressis
(A. A. S. 1 apr. 1918, 10, 170)

1. De lege abstinentiae in festis in Gallia suppressis.

I. An lex abstinentiae cesset in Gallia diebus festis sub praecepto in universa Ecclesia servatis, sed in Gallia ex concessione Sanctae Sedis suppressis, scilicet festis Circumcisionis, Epiphaniae, Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli.

Resp.: *Negative.*

2. De missa pro populo in festis suppressis.

II. Quaenam sint festa suppressa, de quibus in can. 339, § 1, 466 § 1, in quibus nempe ab Episcopis et Parochis applicanda est Missa pro populo sibi commisso.

Resp.: *Nihil* hac in re per Codicem iuris canonici *immutatum* esse a disciplina huc usque vigente.

3. De festis in Codice suppressis.

III. Utrum festa quae non enumerantur in can. 1247, § 1, ipso facto ipsaque lege nullibi sint amplius de praecepto, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerint de praecepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci, aut ex speciali concessione Sanctae Sedis.

Resp. : *Affirmative*, ita ut in iis diebus non amplius fideles urgeat duplex obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus.

P. Card. Gasparri, *Praeses.*
Aloisius Sincero, Secretarius.

Annotationes

1. Primum responsum ex ipso Codice erui poterat. Ubi festum non est de praecepto, ratio cur lex ieiunii vel abstinentiae relaxetur per se cessare perspicitur. Et concordat responsum in simili specie, 28 aug. 1911. (Cf. *Period.* t. 6, n. 541, p. 115.)

2. Quod ad secundum responsum, privatus interpres potius concludere debebat catalogum Urbani VIII penitus desiisse. Nec argumentum contrarium sumi poterat ex decl. 8 aug. 1911 (*Period.* 5, p. 84) qua S. C. Conc. declaraverat obligationem missae pro populo permanere in diebus festis quos Pius X Motu Proprio *Supremi Disciplinae*, 2 iul. 1911 suppresserat. Pius X enim festa ista non simpliciter abrogaverat sed hoc edixerat : « Ecclesiastico praecepto audiendi sacri et abstinendi operibus servilibus hi tantum qui sequuntur dies subiecti manebunt », dum c. 1247 positive promulgat dies festos Universalis Ecclesiae.

3. In responso ad 3, extensivam interpretationem c. 1247, § 1 agnoscendam putamus. Quod enim, praeter festa universalis Ecclesiae quodpiam alicubi celebretur, id legi repugnare non videtur. Et praeterea c. 5 in prudenti arbitrio ponit episcoporum ut contrarias consuetudines, saltem centenarias tolerent.

Novimus plura responsa non promulgata valde urgere ut uniformitas in celebrandis festis ubique obtineatur. Quare § 3 practice restringitur ad festa peculiari concordato vel indulto suppressa, ita ut festa S. Ioseph et SS. Corporis Christi vigere dicantur ubi ex solo Motu Proprio Pii X suppressi erant.

---

42. — SECRETARIA STATUS

DECRETUM 20 AUG. 1917

De anticipato vigore quorundam canonum

(A. A. S. 1 sept. 1917, 9, 475)

Petunt ut aliquot canones statim vigeant

Episcopi aliive locorum Ordinarii complures a SS. D. N. Benedicto Pp. XV demisse efflagitarunt ut, nulla interposita mora, vigere incipiant praescripta Codicis i. c. quae sequuntur :

1° Canonis 859, § 2 ;
2° Canonis 1108, § 3 ;
3° Canonis 1247, § 1 ;
4° Canonum 1250, 1251, 1252, 1253, 1254.

Quod ita decernitur. Beatissimus Pater, in audientia die 19 mensis augusti infrascripto Cardinali data, relatas preces benigne excipiens, decrevit, praescripta canonum, de quibus supra, ex hoc ipso die vim habere ; praetereaque, Motu proprio, concessit ut S. R. E. Cardinales iam nunc omnibus ac singulis fruantur privilegiis quae can. 239, § 1, 240, 600, n. 3, 1189, 1401, eiusdem Codicis describuntur. Quae omnia promulgari iussit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Dies (20 aug. 1917). Ex aedibus Vaticanis die 20 mensis augusti anni 1917.

P. Card. Gasparri, *a Secretis Status.*

Annotatio

Propter commune commodum melioris seu benignioris legis, anticipatus vigor datus est quibusdam canonibus. Sunt autem, praeter privilegia Cardinalium, c. 859, § 2, de tempore paschali ; c. 1108, § 3, de facultate facta Ordinariis permittendi tempore clauso sollemnem benedictionem nuptiarum ; catalogus festorum de praecepto, ex c. 1247, § 1 ; et disciplina ieiunii et abstinentiae ex cc. 1250-1254.

---

43. — S. C. S. OFFICII

DECRETUM 22 MART. 1918

De Consilio Vigilantiae et iuramento antimodernistico
(A. A. S. 1 april. 1918, 10, 136)

N. B. *Textus invenitur supra sub n.* 14, *p. 30. Pro momento rei, visum est addere has novas annotationes*

I. Authentica ista declaratio, quae dubium solvit ortum ex c. 6 § 6 (de revocatione legum quae nec explicite nec implicite in Codice memorantur) vel est restrictiva istius paragraphi, vel saltem veram obscuritatem dissipavit.

Privati enim interpretes incunctanter affirmabant positivas sanctiones Enc. *Pascendi* 8 sept. 1907 [1] et Motus Proprii *Sacrorum antistitum* 1 sept. 1910 [2] silentio Codicis sublatas esse.

Quare, secundum sententiam plurium, v. g. P. Wernz (*Ius Decretal.* I, n. 127) et quae c. 17 novi Codicis pro-

[1] *Periodica*, t. 4, p. 1 ss.
[2] *Periodica*, t. 5, p. 197 ss.

bata est, declaratio huius modi promulgari debuit, nec vim retroactivam habet. Cum decretum hoc ante vigentem Codicem Actis Apost. Sedis insertum fuerit, vacatio trium mensium c. 9 inducta ei applicari nequit, sed probabiliter dici potest (Cf. S. Alphons. I, 96) decretum per duos menses vacavisse, ita ut a 1 maii obligare coeperit.

II. Id porro edicit : Praescriptiones quae spectant ad Consilia a Vigilantia et ad iuramentum antimodernisticum, in suo plene robore manent donec S. Sedes aliter statuerit. Itaque ambae institutiones non solum manent quales ex Enc. *Pascendi* et Motu Proprio *Sacrorum antistitum* esse coeperunt, sed etiam posteriores definitiones seu declarationes de utraque institutione observandae sunt.

III. Praestat itaque hoc loco praescriptiones istas summatim synoptice proponere.

A. *De Consilio vigilantiae.*

1. Consilium a vigilantia in singulis dioecesibus constituendum est ex selectis viris utriusque cleri, qui altero quoque mense et stato die cum episcopo convenient. — Quae tractaverint, decreverint, secreto premantur. — Ob hunc porro praecipue finem consiliarii instituendi sunt, ut efficaciter provideant incolumitati cleri et iuventae, et consulant fidelium aedificationi. — Obiectum autem eorum vigilantiae propositum sunt libri, scripta, praelectiones et socialia instituta. In his omnibus deprehendere debent quidquid modernismum vel superbam novitatem sapiat. (Enc. *Pascendi*, VI). Die porro 25 sept. 1910 (*Periodica*, t. 5, p. 289) declaratum est stricte intellegendam esse istam praescriptionem congregandi Consilium altero quoque mense ; illos tamen qui longe distent a civitate episcopali et legitime impediantur, posse, adducta causa impedimenti, scriptam transmittere relationem.

Demum praescriptio de Consilio a vigilantia dioeceses afficit, non Vicariatus apostolicos. (Periodica, t. 5, p (68). Extra tamen loca missionum, manifesto causae paritas postulare nobis videtur ut vigeat quoque in quasi-dioecesibus, v. g. in abbatiis nullius.

B. *De Iuramento antimodernistico.*

1. *Quinam tenentur ?*

Doctores in seminariis ; doctores seu lectores in Ordinibus religiosis (Motu Pr. *Sacrorum Antistitum* ; decl. 25 sept. 1910 ad V. — *Periodica*, t. 5, p. 209). Non autem professores in laicis Universitatibus qua tales. Cf. litt. 10 febr. 1911, *Periodica*, t. 6, p. 10).

a/ *Doctores* seu *lectores* intellegi posse videntur, attento fine praescriptionum, esse ii tantum qui sacras disciplinas praelegunt (*Periodica* t. 5, p. 231).

b/ Clerici maioribus ordinibus initiandi. Ex decl. 24 mart. 1911 ad II sufficit ut ante subdiaconatum praestetur, salvo Ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat. (*Periodica*, t. 6, p. 25).

c/ Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri contionatores antequam facultate donentur ea munera exercendi.

d/ Parochi, canonici, beneficiarii, ante ineundam beneficii possessionem.

e/ Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicariis generalibus et iudicibus.

f/ Allecti contionibus habendis per quadragesimale tempus.

g/ Officiales omnes in romanis Congregationibus vel tribunalibus.

h/ Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores.

2. *Coram quibusnam* iusiurandum emittendum est?

a/ Doctores in seminariis coram episcopo suo; doctores et lectores in religionibus, coram suis moderatoribus.

b/ Clerici ordinandi, etiam religiosi, coram episcopo qui ordines confert vel in cuius dioecesi ordinationes fiunt. (Decl. 17 d. 1910 et *Period.* V, p. 272).

c/ Confessarii et contionatores coram eo a quo approbantur.

d/ Parochi coram eo a quo beneficii possessionem obtinent. — Beneficiarii et canonici coram episcopo. (Motu prop. *Sacrorum antist.* et decl. 25 oct. 1910 ad VI. *Period.* t. 5, p. 252-253).

e/ Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, coram episcopo (*Sacrorum antistitum*).

f/ Officiales in Romanis Congreg. vel tribunalibus, coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis (*Sac. antist.*). In tribunali Rotae, contra atque coniectavimus in *Periodica*, t. 5, p. 210, novus auditor iuramentum coram collegio emittit. Decanus enim Rotae, potius quam proprius Superior, est quasi primus inter pares.

g/ Moderatores religiosi coram Superiore maiore. Generales autem coram praeside capituli generalis; quod si ipsi capitulo praesint, coram assistentibus vel Consiliariis gene-

ralibus, aut melius coram capitulo, cui assistentes aderunt. (Sic casum solvimus *Period.* t. 5, p. 253).

In casibus particularibus, data iusta causa, possunt episcopi et moderatores religionum delegare ad recipiendum iuramentum sacerdotem quempiam, sive saecularem sive regularem, in aliqua dignitate vel officio constitutum. (Decl. 25 sept. 1910 ad VIII. Cf. *Period.* t. 5, p. 229, ss). Vicarius generalis, postquam ipse coram episcopo iuramentum praestitit, generali modo delegari potest. (Decl. 25 oct. 1910, *Period.* t. 5, p. 252, ss.).

3. *Quandonam et Quotiens* iuramentum emitti debet?

Doctores et lectores seminariorum et religionum, quotannis ineunte anno seu ante auspicandas praelectiones (Decl. 25 sept. 1910. *Period.* t. 5, p. 229 ss.).

Ceteri, ante receptos ordines, vel ante beneficii possessionem, vel ante initum officium. Et de parochis responsum est, ipsam professionem fidei ante possessionem beneficii faciendam esse. (Decl. 1 mart 1911. *Period.* t. 6, p. 13).

Et repetendum quidem est iusiurandum, quotiescumque accipitur qualitas cui obligatio annexa est v. g. quotiescumque aliquis regendam domum religiosam assumat. Putamus tamen iusiurandum repetendum non esse ab eo qui, in una dioecesi approbatus, in alia facultatem obtinet confessiones audiendi vel contiones habendi, vel ab eo qui in eadem episcopali curia vel Congregatione Romana vel in eodem tribunali aut in eodem seminario officium mutat vel aliam disciplinam tradere incipit. (*Period.* t. 5, p. 210), vel in munere Superioris eiusdem domus confirmatur. (Arguimus ex decl. 25 oct. 1910, ad V).

Praeterea, qui eodem moraliter tempore, ob plures titulos, iuramento praestando adigatur, satisfacere posse videtur iurando semel et praestiti iuramenti fidem ei exhibendo qui alio titulo iuramentum exigere potest. Arguimus ex decl. 15 oct. 1910, de eo qui plura obtinet beneficia vel officia. (*Period.* t. 5 p. 210).

Nec iuramentum iterare debent vicarii parochiales, confessarii et sacri contionatores quibus facultas prorogatur. (Decl. 25 oct. 1910 ad 5, *Period.* t. 5, p. 252 ss.).

4. *Quae formae* observandae sunt?

Praemissa professione fidei qualis initio Codicis descripta est, abiurandus est modernismus secundum formulam Motu Proprio *Sacrorum Antist.* praescriptam. Formula haec legenda est et nomine proprio subscribenda. (*Period.* t. 5, p. 200).

Quando plures simul iurant, sufficit ut formula iuramenti, ab uno recitata a ceteris singulis, iureiurando emisso,

subscribatur. (Decl. 25 oct. 1910, ad IV, *Period.* t. 5, p. 233).

Documenta in respectivis archiviis asservanda sunt ; proin, penes officia SS. CC. et tribunalium romanorum, pro eorum officialibus ; — penes curias episcopales pro beneficiatis, pro curiae officialibus vel iudicibus, pro doctoribus in seminariis, pro ordinandis, confessariis, contionatoribus ; in tabulis monasterii independentis, vel provinciae vel totius Ordinis religiosi pro moderatoribus et doctoribus religionum.

5. *Quaenam sanctio* apposita est ?

Tam qui iuramentum violaverit quam qui istud dare noluerit, ilico ad S. Officium deferendus est.

IV. Exemplum dispositionis natura sua temporariae quae, mutatis adiunctis, est a S. Sede expresse suppressa, habemus in abiuratione iansenismi quae in Belgio et Hollandia ad formulam professionis fidei addenda erat ; et quae decreto 23 febr. 1912 S. C. Consistorialis abrogata est. (*Period.* t. 6, p. 201).

V. Qui, ex canone 1406 fidem profiteri debent, non ideo abiurando modernismo tenentur, nisi in Motu proprio *Sacrorum antistitum* comprehensi sint. Contra vero, qui in solo Motu proprio *Sacrorum* nominantur, fidem tamen profiteri debebunt, cum ipse Motus proprius iubeat ut fidei professio abiurationi praemittatur.

VI. Quaeres utrum ceterae praescriptiones Enc. *Pascendi* et Motus proprii *Sacrorum* vigere pergant ?

Ad eas praescriptiones declaratio S. Offici extendi nequit quae ad debellandum modernismum latae non sunt. Sic vetitum ne diaria seminaristis legenda tradantur, ex ipsis Motus proprii verbis ideo latum est « ne iuvenes aliis quaestionibus tempus terant et a studio praecipuo distrahantur ».

Quid autem de praescriptionibus quae in eundem finem atque abiuratio modernismi diriguntur ?

Res ista non vacat dubio. Ex una parte, ratio allegata a S. Officio ad illas causas plene aptatur ; ex altera autem parte, ipsa S. Congregatio non fortuito casu de solis praescriptionibus quae Consilia a vigilantia et Iuramentum antimodernisticum spectant mentionem facere voluit.

VII. Contra atque institutio Consilii a vigilantia, praescripta Motus proprii omnes Ordinarios Ecclesiae latinae afficiunt. Itaque etiam Vicarii apostolici et Praefecti apostolici curare debebunt ut Modernismus rite abiuretur.

44. — PROVISIO ECCLESIARUM

A. Archiepiscopi vel Episcopi *residentiales, per decreta S. C. Consistorialis*, nominati sunt :

30	iun.	1917.	R. D. Ios. Bertazzoni, ep. Massen. (Italia).	*Massa di Carara*
9	iul.	»	R. P. D. Paul. Iacuzio, arch. Surrentin. (Italia), hactenus ep. Caputaquen. Vallensem.	*Sorrente*
12	»	»	R. D. Ferdin. Rott., ep. Veszprimien. (Hungaria).	*Veszprem*
27	»	»	R. D. Isid. Badia y Sarradell, ep. Tirasonen. (Hispania).	*Tarazona*
29	aug.	»	R. P. D. Eug. Beccegato, ep. Cenetensis. (Italia).	*Ceneda*
1	sept.	»	R. D. Ant. dos Santos Calvai, ep. Natalen. (Africa).	*Natal*
15	»	»	R. P. Ioach. Garcia, e congr. I. et M. (Eudist.) ep. S. Marthae. (Columbia).	*Ste Marthe*
21	»	»	R. P. D. Ioa. Henr. Tihen, ep. Denverien. (Foed. St-Amer), hactenus episc. Lincoluensis.	*Denver*
»	»	»	R. P. D. Ioa. Cantwell, ep. Montereyen. Angelorum. (Foed. St. Amer).	*Monterey los Angelos*
2	nov.		R. D. Sigism. Lorinski, ep. Minscen. (Russia).	*Minsk*
3	»	»	R. D. Amed. Casabona, ep. Clavaren. (Italia).	*Chiavari*
10	»	»	R. D. Car. O'Sullivan, ep. Kerrien. et Agadanien. (Hibernia).	*Kerry (Ardfert)*
»	»	»	R. D. Luc. Piergiovanni, ep. Cornetan. et Centum Cellarum. (Italia).	*Corneto (e Civita vecchia)*
»	»	»	R. D. Sim. Laur. Salvi, O. S. B. Abb. *nullius* Sublacen. (Italia).	*Subiaco*
17	»	»	R. D. Aloys. Ferretti, ep. Mandelen. (Italia).	*Poggio-Mirteto*
26	»	»	R. D. Ant. M. Pueyo de Val, e Congr. Filiorum Imm. Cord. Mar. ep. Pastopolitan. (Columbia).	*Pasto*
7	dec.	»	R. D. Fern. Codd., ep. Fernen. (Hibernia).	*Ferns*
22	»	»	R. D. Franc. Cammarota, ep. Caputaquen. et Vallen. (Italia).	*Capaccio e Vallo*
28	ian.	1918.	R. D. Bened. Alves de Souza, ep. Spiritus Sancti. (Brasilia).	*Espirito Santo*
»	»	»	R. P. D. Ioach. Mamede da Silva Leiote, ep. Caratigen.	*?*
»	»	»	R. D. Ion. de Aranjo Batinga, ep. Geneden. (Brasilia).	*Penedo*
»	»	»	R. P. Vinc. Mar. Moreira, O. P., ep. Portus Nationalis.	*?*
30	»	»	R. D. Georg. Grente, ep. Cenomanen. (Gallia).	*Le Mans*
8	febr.	»	R. P. D. Guil. Shaw, ep. Novae Aureliae (Foed. St. Am.), hactenus ep. S. Antonii.	*Nouvelle-Orléans*
»	»	»	R. D. Dan. M. Gooman, ep. Xylopolitan. (Foed. St. Am.).	*Boise-City*
15	»	»	R. D. Ios. Luc. Giray, ep. Cadurcen. (Gallia).	*Cahors*
»	»	»	R. P. Helvet. Gomez de Oliveira, e soc. Sales, ep. Corumben.	*?*
20	»	»	R. D. Car. Silva Cotapos, ep. de Serena. (Chili).	*Serena*
»	»	»	R. D. Gibb. Fuenzalida Guzman, ep. Sanctissimae Conceptionis. (Chili).	*La Conception*
20	»	»	R. P. Franc. Pierini, O. Min., ep. Cochabamben. (Bollivia).	*Cochabamba*

S^t Charles d'Ancud	21 febr. 1918.	R. P. Ant. Castro, e Congr. SS. Cord. I. et M. (Picpus), ep. S. Caroli Ancudiae. (Chili).
Osma	22 » »	R. D. Matth. Mugica et Urrestarazu, ep. Oxomen. (Hispania).
Squillace	23 » »	R. D. Ioa. Elli, ep. Squillacen. (Italia).
Lima	25 » »	R. P. D. Aem. Lisson, arch. Limon. (Peruvia), hactenus ep. de Chachapoyas.
Lincoln	20 mart. »	R. P. D. Car. O'Reilly, ep. Lincolnen. (Foed. St. Amer.), hactenus ep. Bakerien. *Breve Apostolico*, ope S. C. de Propag. Fide nominatus est.
Kerkuk	31 iul. 1917.	R. D. Stephanus Djibri, arch. Cherchen. (alias: Kerkuken.) Chaldaeorum, hact. arch. tit. Nisibensis.

B. Vicarii et praefecti apostolici *brevibus apostolicis*, ope S. C. de Propag. Fide nominantur :

(V. A. = Vicarius apostolicus. — P. A. = Praefectus apostolicus).

Ton-kin marit.	12 iun. 1917	R. D. Alois. Christ. Maria de Cooman, soc. Paris. ab ext. miss. Coadi. cum iure succ. Ton-Kin maritimi.
Bahr-el-Gazal	13 » »	R. D. Ant. Stoppani, e Congr. Filiorum S. Cordis, V. A. de Bahr-el-Gazal. (Africa equat.).
Yukon	» » »	R. D. Aemil. Bunoz, e Congr. Obl. Mar. Imm., V. A. Yukonensis Principis Ruperti. (Canada).
Hou-nan	14 » »	R. D. Flam-Belotti, e Semin. Mediol. pro miss. ext., V. A. de Honan merid. (Asia).
Tonkin orient	19 » »	R. D. Franc. Ruiz de Azua, O. P. coad. cum iure succ. V. A. Ton-Kin Orient.
Golfe de S^t Laurent	27 » »	R. P. Patrit. Chiasson, e Congr. I. et M. (Eudist.) V. A. Sinus S. Laurentii. (Canada).
Ce-li merid.	30 iul.	R. P. Henr. Lecroart, S. I. coad. cum iure succ. V. A. Ce-li merid. (China).
Uganda	15 nov.	R. P. Ioa. Forbes, e Congr. Miss. Afr. coad. cum iure succ. V. A. de Uganda. (Africa).

45. — NOMINATIONES NUNTIORUM, INTERNUNTIORUM ET DELEGATORUM APOST.

A. Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici per *Litteras Secretariae Status* nominati sunt :

Peru	20 iul. 1917.	R. D. Laur. Lauri, arch. tit. Ephesinus, Nunt. in Peruvia.
Columbia	» » »	R. D. Henr. Gasparri, arch. tit. Sebastensis, Nunt. in Columbia.
Venezuela	16 febr. 1918.	R. D. Franc. Marchetti-Selvaggiani, Intern. Ap. in Venezuela.

46. — NECROLOGIUM

N. B. Recensentur archiepiscopi et episcopi *residentiales*, Vicarii, Praefecti et Delegati Apostolici.

30	maii	1917.	R. D. Petr. Scebli, archiep. Beryten. (Syria).	*Beyrouth*
14	»	»	R. D. Maria Rancès y Villanueva, ep. Gaditan. (Hispania).	*Cadix*
21	»	»	R. D. Giacomo Browne, ep. Fernen. (Hibernia).	*Ferns*
1	iul.	»	R. D. Ioa. Mangan, ep. Kerrien. et Agadamen. (Hibernia).	*Kerry*
2	»	»	R. D. Ios. Giustiniani, arch. Surrentinen. (Italia).	*Sorrente*
8	»	»	R. D. Ant. Mar. Duran, ep. Guayana (Venezuela).	*de Guyana*
»	»	»	R. D. Theod. Messajeh, ep. rit. chald. dioec. Cherchen. (Kurdistan).	*Kerkuk*
»	aug.	»	R. D. Nic. Matz, ep. Denverien. (Foed. Stat. Am.).	*Denver*
»	»	»	R. D. Adolp. Lenfant, ep. Dinien. (Gallia).	*Digne*
»	»	»	R. D. Sud. Henr. Izquierdo y Vargas, ep. SSmae Conceptionis. (Chili).	*La Conception*
»	»	»	R. D. Ant. Lamberti, ep. Conversanen. (Italia).	*Conversano*
»	»	»	R. D. Ed. Th. O'Duyer, ep. Limericien. (Hibernia).	*Limerick*
»	sept.	»	R. D. Pasc. Picone, ep. Melphicten. Iuvenacen. et Terlitien. (Italia).	*Molfetta*
»	»	»	R. D. Nic. Rey y Redondo, ep. Nivarien. (Teneriffe).	*St Christophe de La guna*
»	»	»	R. D. Petr. Emm. Garcis. Naranjo, arch. Liman. (Peruvia).	*Lima*
»	oct.	»	R. D. Alf. Glorieux, ep. Xylopolitan. (Foed. St. Am.).	*Boise-City*
»	»	»	R. D. Giord. Zanicovic, O. P. ep. Pharen. (Dalmatia).	*Lesina*
26	»	»	R. D. Iac. Beltrán y Asensio, ep. Abulen. (Hispania).	*Avila*
3	dec.	»	R. D. Fred. Gonzalez Suarez, arch. Quiten. (Equator).	*Quito*
31	»	»	R. D. Mich. Izzi, ep. Alatrin. (Italia).	*Alatri*
5	ian.	1918.	R. D. Ioa. Foley, ep. Detroiten. (Foed. Stat. Am.).	*Détroit*
23	»	»	R. D. Nic. Lud. Callagher, ep. Galvestonien. (St. Foed. Am.)	*Galveston*
»	»	»	R. D. Iac. Mac Gobrick, ep. Duluthen. (St. Foed. Am.).	*Duluth*
20	febr.	»	R. D. Ioa. Paul. Azevedo e Castro, ep. Macaen. (China).	*Macao*
»	mart.	»	R. D. Eduard. Iren. Mignot, ep. Albien. (Gallia).	*Albi*
30	»	»	R. D. Cosm. Agostino, ep. Arianen. (Italia).	*Ariano di Puglia*

I. Creusen, s. i.

BIBLIOGRAPHIA [1]

C. Callewaert, I. C. L., Cathedr. Brugen. Can. Theol., Semin. Brugen. Praes. ac. Liturg. Prof. et in Univ. Lov. lect.

Tractatus primus : De S. Liturgia universim. — Liturgicae Institutiones. Brugis, Beyaert, 1919, in-8°, 160 pp.

CAPUT I. — Definitio liturgiae analytice statuitur.

CAPUT II. — Enucleatur notio cultus liturgici. — Art. 1. *De actibus cultus.* — Art. 2. *De termino cultus liturgici.* — Art. 3. *De ministro cultus liturgici.* — Art. 4. *De finibus et fructibus cultus liturgici.*

CAPUT III. — Historia Liturgiae. — I. Periodus primaevae ordinationis. — II. Periodus diversarum familiarum liturgicarum. — III. Periodus liturgiae Romanae cum multis varietatibus localibus. — IV. Periodus liturgiae Romanae universalis unificatae sub auctoritate Romani Pontificis.

CAPUT IV. — De Fontibus Liturgiae Romanae. — Art. 1. *De fontibus iuridicis.* — Art. 2. *De fontibus litterariis.*

CAPUT V. — De Liturgia scientia eiusque methodo. — I. De obiecto scientiae liturgicae. — II. De methodo in studio liturgico.

Index alphabeticus personarum et rerum notabilium.

Caes. Carbone, Th. et I. C. Doct., Mag. Theol. et S. Eloq. in Semin. Apulo-Lucano. *Praxis Ordinandorum* ad canones codicis iuris can. redacta. Taurini, Marietti, 1919, in-16, XVI-244 pp., 4 fr. 50. I. Ordo generatim sumptus. II. Prima Tonsura. III. Ordines minores in communi. IV. Ostiariatus. V. Lectoratus. VI. Exorcistatus. VII. Acolythratus. VIII. Ordines maiores in communi. IX. Subdiaconatus. X. Diaconatus. XI. Presbyteratus. XII. Munus offerendi. XIII. Munus benedicendi. XIV. Munus praesidendi. XV. Munus baptizandi. XVI. Munus absolvendi. VII. Obligationes presbyterorum.

Nic. Sebastiani, sac. *Summarium theologiae moralis* ad codicem iuris canonici accomodatum. Ed. 4ª, minor, recognita. Taurinorum Aug., Marietti, 1919, in-16, XII-642 pp., tela lig. 11 fr. LIB. I. De prolegomenis seu de principiis fundamentalibus. LIB. II. De officiis. PARS I. De officiis quae omnibus christianis sunt communia. PARS II. De officiis quae aliquibus christianorum coetibus sunt propria seu de statibus particularibus. LIB. III. De mediis seu subsidiis. PARS I. De sacramentis. Pars II. De mediis ab Ecclesia datis. INDEX ANALYTICUS.

Mons. G. P. Sinopoli di Giunta. *Storia litteraria della Chiesa.* Vol. I. Epoca Antinicena. Dalle origini della Chiesa all' Edito di Milano (a. 313). Torino-Roma, C. Marietti, 1920, in-8, 392 pp., 13 fr. 50. CAP. I. La missione apostolica. II. I primi atti di giurisdizione ecclesiastica. III. Prime lotte contro la dottrina di Gesù Cristo. IV. Santi Padri e Dottori. V. Prime pagine di litteratura. VI. Movimento ereticale e prime pagine di Letteratura

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert Libraire, Bruges.

MONUMENTA

47. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

MOTU PROPRIO 9 MAII 1918

De missa pro praesentibus societatis humanae necessitatibus die XXIX proximi mensis iunii celebranda.

(A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 225)

BENEDICTUS Pp. XV

Per quadriennium saevi belli

Quartus iam annus ad exitum appropinquat, ex quo, ut Europa bello flagrare coepit, Nobis Pontificatus maximi est onus impositum ; atque hoc toto spatio, uti non se remisit umquam, immo excrevit dimicandi furor, ita ne punctum quidem temporis respiravit animus Noster ab acri cura et sollicitudine qua ex tantis belli tamque ingravescentibus malis afficiebamur. Hanc enim seriem continuationemque rerum tristissimarum hucusque Nos sine intermissione inspectantes, non solum doluimus omnium doloribus, ut vere possimus illud Apostoli usurpare : « quis infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ? » ; sed etiam de iis quae et conscientia admonebat officii, Nobis divinitus attributi, et Iesu Christi caritas suadebat, nihil umquam, quoad potuimus intentatum reliquimus.

S. Pontifex maximis curis afflictus, nihil intentatum ad mala minuenda reliquit.

Ad Illum confugiendum, Cuius arbitrio omnia diriguntur.

Nunc vero in ea temporum condicione versamur, ut sponte occurrat recordatio illius Iosaphat regis, ita maximis in angoribus comprecantis : « Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in caelo et dominaris cunctis « regnis gentium ; in manu tua est fortitudo et potentia, nec quisquam « tibi potest resistere... clamabimus ad te in tribulationibus nostris et « exaudies salvosque facies... Deus noster... cum ignoremus quid agere « debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad « te ». (II *Par.*, XX, 6-12). Iam igitur omnem « sollicitudinem Nostram « proicientes in Eum », cuius in arbitrio sunt hominum voluntates eventusque rerum, ab Ipso qui « castigando sanat et ignoscendo conservat » illud exspectamus ut misericors tantis aerumnis finem celeriter faciat, rebusque sua pace compositis, regnum in hominibus iustitiae caritatisque restituat.

In primis Deus, ob tot peccata iratus, placandus est

Sed primum omnium, iratus tam late diffusa contumacia peccandi, placandus Deus ; idque prece humili ac supplici, quam scimus plurimum posse ad impetrandum, si quidem confidenter et perseveranter fiat. — Iam vero ad divinam maiestatem propitiandam nihil plus valet quam

oblato incruento sacrificio missae.

sacrosanctum Eucharistiae sacrificium, in quo Ipse Patri offertur qui « dedit redemptionem semet ipsum pro omnibus », « semper vivens ad « interpellandum pro nobis ». Ac recte Ecclesia animarum pastoribus legem constituit certis diebus *pro populo* eorum curis concredito sacrum faciendi : quibus praesertim diebus piissima mater divinam clementiam suorum filiorum necessitatibus vult conciliari. Quoniam autem rerum omnium quibus haec tempora indigent, ea est summa, ut rursus concordia et tranquillitate potiatur humana societas, Nobis visum est peropportunum, sacros pastores, in praecipua quadam Ecclesiae sollemnitate, universos Nobiscum divinum sacrificium in eam causam offerre. Itaque Motu-proprio statuimus, ut die XXIX proximi mensis iunii, natali Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, qui populi christiani praesidia sunt et firmamenta, quotquot ex officio Missam pro populo celebrare debent, eam celebrent secundum mentem quam diximus. Praeterea sciant ceteri ex utroque Clero sacerdotes fore Nobis gratissimum, si eodem die sacrum facientes suam quoque mentem Nostrae adiungere velint. Sic enim, toto catholicorum sacerdotum ordine, in quavis ora ac parte terrarum, una simul Nobiscum sacrificante, maior aderit spes a divina bonitate impetrandi, ut illud tandem efficiatur, quod cuique est optatissimum : *Iustitia et pax osculatae sunt.*

Quare iubentur omnes qui pro populo celebrare debent ut d. 29 iun. ad finem supra propositum cum ipso S. P. sacra litent.

Dies (9 maii 1918).

Datum Romae apud sanctum Petrum die IX mensis maii, festo Ascensionis Domini, MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS Pp. XV.

ANNOTATIO

De conflictu cum tricenario Gregoriano aut missa fundata, cf. infra n. **75** decr. S. Paenit. d. 26 maii 1918.

48. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 22 MAII 1918

Ad Andream S. R. E. Card. Ferrari, Arch. Mediol. et ceteros episc. Insubris regionis, de communi officiosissima epistola gratias persolvens.

(A. A. S. 1 iul. 1918, 10, 273)

S. Pontificem maxime solatur manifesta coniunctio illorum Epp. cum S. S. in difficillimis temporibus.

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Maximas inter horum temporum amaritudines haud exiguum solacium litterae Nobis attulerunt quas die 25 aprilis nuper elapsi ad Nos communiter dedistis. Etenim una congregati quotquot Insubris provinciae Ecclesiis estis praepositi, illud facile sensistis *a conventu fratrum non posse Patrem abesse ;* quam ob rem praesentiam Nostram ardenti animo in medium vestrum revocastis, nobilissimis verbis vestram Nobiscum coniunctionem et necessitudinem confirmantes, eo artiorem « quo magis « in diuturna rerum publicarum subversione christiani nominis hostes

« illius supremam auctoritatem a Christo Iesu concreditam adversantur, « quem posuit Deus Magistrum et Assertorem iustitiae ».

Belli enim horroribus adduntur vaferrimae in S. P. calumniae, praesertim in Italia.

Enimvero praeter infandos huius belli horrores, cuius quidem in universa hominum historia nullum par exemplum, quodque miseram Europam ad extremum exitium pellere videtur, vehementissime angimur propter vaferrimam calumniarum odiique insectationem, qua, intra Italiae potissimum fines, et Nostra Persona et opera Nostra lacessuntur.

Cum nihil R. P. intentatum reliquerit ut iustitiae simul et caritati satis faceret

In humanum genus, suo ipsius sanguine madidum, Nobis illa licet sincero animo sacrorum librorum usurpare verba : « Quid est quod debui « ultra facere vineae meae et non feci ei ? » (Isaias, V, 4). Bello exorto, quod vitatum pro communi bono maluissemus, Nos nihil prorsus quod potuimus praetermisimus, nihil intentatum reliquimus quod ad tristissimos belli effectus leniendos mitigandosque valeret ; saepius, ac praesertim in allocutione consistoriali, quam primam habuimus ineunte anno 1915 atque expressius etiam in altera diei 4 decembris anni proxime insequentis, quaslibet iuris violationes, ubicumque demum factae sint, magnopere reprobavimus, prout nunc etiam iterum reprobamus ; demum exhortationibus, supplicationibus, piacularibus, propositionibus iustae ac maturae pacis finem immanis huius cladis properare studuimus. Nihilo minus vos bene nostis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, ineptas absurdasque calumnias, quae varia multiplicique ratione, palam, occulte, verbis, scriptis longe lateque diffunduntur. Per agros et per vicos, ubi acrior ideoque humanitate ac reverentia dignior tristitia reperitur, bellum Nos voluisse dictitant ; in urbibus autem pacem Nos concupiscere, sed iniquam et uni tantum bellantium parti accommodatam. Verba Nostra detorquentur ; de cogitationibus ac propositis Nostris suspicio inicitur ; ipsum silentium Nostrum de singulis facinoribus in malam partem accipitur, velut si in tanta ambiguitate rerum ac passionum aestu plane liceat singula singulis damnationibus persequi quae, emissa per commune principium damnatione, iam pridem fuerint omnia aequiore iudicio reprobata.

verba eius et silentium ipsi vitio vertuntur.

Immo in sacerdotes optime de patria meritos odium populi suspicioque excitantur.

Neque vero in Nos solum in operamque Nostram huiusmodi odii explicatio ac diffusio circumscribitur ; namque et sacerdotum optime meritorum et illustrium episcoporum erga patriam fidelitas summa cum iniuria in dubium vocatur ; quin adeo iniquissimis vexationis et delationis artibus eos circumvenire, infamare, in ius rapere contenditur. Ex quo fit ut, dum Italia, in praesens, pace et concordia inter universos cives suos quam maxime indiget, christiani nominis hostes, ipsa hac tempestate abutentes, contra hanc veritatis iustitiaeque Cathedram, contra clericos, contra catholicos imperitae simplicisque multitudinis animos concitare conentur, discordiarum semina inter varios civium ordines serentes.

Tantis malis non fractus, honorem Ecclesiae vindicare vult R. P.,

Tanta vero perversitas si Nos maxima aegritudine afficit, neque inopinata Nobis accidit, neque animum Nostrum deprimere aut infringere potest ; sed, cum arcano divinae Providentiae consilio ad Ecclesiam regendam vocati simus, gravissimi Nostri muneris est eiusdem Ecclesiae sanctitatem et honorem defendere.

vocem contra omnes calumnias attollendo.

Quam ob rem contra hanc talem obtrectationum odiique disseminationem Nos iterum ministerii Nostri vocem vobiscum, dilecte fili Noster ac venerabiles fratres, attollimus, eamque conscientiae non solum fidelium, sed etiam, quotquot sunt honestorum hominum denuntiamus. Vestrum

Curent omnes Episcopi et sacerdotes ut populum de his veritatem doceant ne ab Ecclesia discedat.

est non secus ac ceterorum episcoporum et cleri universi, in primisque sacerdotum animarum curam habentium, christianum populum ab inimico homine tueri, rerumque veritatem fideles edocere, ut a sinu benignae Matris Ecclesiae numquam abscedant, sed eidem et supremo eius Pastori usque adhaereant, qui ab ipso Deo constitutns est custos veritatis, iustitiae et caritatis administer, anchora spei, pacis tranquillitatisque portus. Laboribus autem vestris ut caelestia adsint auxilia enixe deprecamur, quorum auspex itemque benevolentiae Nostrae testimonium apostolica sit benedictio quam vobis et unius cuiusque vestrum gregi amantissime in Domino impertimus.

Benedictio apostolica conceditur.

Dies (22 maii 1918).

Datum Romae apud S. Petrum, die XXII mensis maii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

BENEDICTUS Pp. XV.

ANNOTATIO

Documenta pontificia plurima de bello et de pace indicantur in t. 8 huius periodici, et infra in Indice alphabetico, sub vv. Bellum-Pacis. Cf. DUDON, P., *Le Pape et la guerre*, Paris, 1915. YVES DE LA BRIÈRE, P. in *Études religieuses*, fasc. 20 ian., 5 febr., 20 mart. 1916 et passim. ARNAUL D'AGNEL, G., *Benoit XV et le conflit européen*, 2 vol., Paris, 1916. O. MISONNE, *Le Pape, la Belgique et la guerre*, 3ª ed. Mons, 119. Praeterea politicas lucubrationes passim in periodicis *Civiltà Cattolica* et *Études religieuses*.

IOS. CREUSEN, S. I.

---

49. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 4 IUN. 1918

Ad R. P. Innoc. Lòpez, Ordinis Mercedarii Vic. Gen. ob proxima sollemnia anni DCC ab ordine instituto.

(A. A. S. 1 iul. 1918, 10, 277)

Inter belli clades S. P. recreatur memoria insignis beneficii

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Dum tanta populorum inter ipsos odia cladium ruinarumque immensitate terrent oculos animosque affligunt, opportune accidit ea quam apparatis celebratio saecularium sollemnium quibus ad mirificum caritatis spectaculum revocamur. Profecto quae anno MCCXVIII sextili mense ineunte divinitus Barcinone acta esse feruntur, ea in primis recordatione sunt digna, non solum quia tunc Ordinis vestri initia consecrata sunt, sed etiam quia D. N. Mariae benignitas, paratae semper in gravissimo quoque discrimine ad opitulandum populo christiano, praeclare eluxit. Etenim cum magna Dei Mater duos sanctos Patres Petrum et Raymundum itemque Iacobum Aragoniae Regem praesentia sui et alloquio beans, auctor illis fuit, ut

quod B.V.M. instituendo Ordine Mercedario miseris Christianis

Ordinem Mercedarium instituerent, ingenti sane christianam rem affecit beneficio, cuius quidem metiri licet magnitudinem ex miserrima christianorum condicione qui quoquo pacto in Sarracenorum manus incidissent. Non solum enim usu veniebat ut his, tamquam rebus, abuterentur inhumanissimi hostes, sed etiam ut nullum non genus crudelitatis in eos, utpote religioni invisissimae addictos, exercerent. Vix igitur dici potest quam magnam sui exspectationem concitarint vestri sodales, qui ad eos in libertatem vindicandos illud proprium nuncuparent votum, pignori semet ipsos, si necesse foret, infidelibus eorum loco daturos atque adeo mortem Iesu Domini exemplo pro fratribus obituros, ut iure de instituto vestro praedicari posset : « Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis ».

in capivitate detentis contulit.

Ab hoc proposito numquam vos defecisse quamdiu huius servitutis dedecus permansit, luculenter historia testatur, quae complurium ex hominibus vestris memoriam tradidit immortalitati. In primisque Petrus ille Nolascus occurrit, qui, positis vestri Instituti fundamentis, cum omnem in id rem familiarem sane magnam insumpsisset, praeterea stipis corrogandae causa pluries Hispaniam totam pedibus peragravit, nec semel evenit ut ea « etiam quae ad sustentandos fratres erant necessaria, ven- « deret et sic libertatem captivorum procuraret ». Raymundum quidem Nonnatum accepimus apud infideles obsidem, cum eius labia transverso pessulo constringerentur, fortiter tamen Christi fidem profiteri non destitisse. Quantus autem in Serapione et in Petro Pascasio caritatis ardor : quorum alter, actus in crucem, membratim discerptus est, alter vero divinam rem faciens obtruncatus. Quamquam in hoc genere quid singula commemoremus, cum ad mille et quingentos e sodalibus vestris numerentur qui pro fide simul et captivorum redemptione martyrium fecerint ? Nec praetereundum est, religiosas virgines a S. Maria de Cervellione institutas una vobiscum in nobilissimo proposito persequendo certavisse.

Eximio fini suo Ordo semper fidelis mansit. Extolluntur merita S. Petri Nolasci,

S. Raymundi Nonnati, et aliquot religiosorum eiusdem Ordinis.

Vos autem nullum caritatis opus vestro instituto duxistis alienum ; de quibus ita decessor Noster Alexander IV : « Hi totis viribus elaborant ut undique confluentium egenorum pariter et aegrorum necessitatibus se exponant ». Ut ceteros omittamus, nominandus omnino est Ioannes Gilabertus, insigni valetudinario « pro pueris expositis, pro phraeneticis aliisque derelictis » Valentiae condito. Longum est autem apostolicos in regno Christi amplificando labores vestri Ordinis persequi, cum inter hostes ipsos christiani nominis acerrimos, quorum in potestate fideles captivi tenerentur, et, America detecta, per illas quoque regionum immensitates Evangelii lucem diffundere studueritis. Quorum quidem beneficiorum in Americae latinae civitatibus passim exstant monumenta, ob eamque causam factum videmus, ut Beatissimam Virginem de Mercede Peruviani et Aequatoriani rei publicae patronam elegerint, Argentini autem suarum copiarum summam ducem renuntiarint. Ordinem tam bene de Ecclesia ac de civili societate meritum decessores Nostros saepenumero dilaudasse et magnis privilegiis auxisse, haud mirum est ; eo magis quod huiusmodi promerita singulari quadam in Apostolicam hanc Sedem observantia cumulavit. — Haec omnia Nos libenter putavimus recolenda, appropinquante natali Ordinis septingentesimo ; ac vehementer gaudemus populos, quibus is profuit, faustum eventum una vobiscum celebraturos ; in pri-

Nullum vero opus caritatis ab Ordine alienum putarunt,

cuius rei testis est praesertim America.

Laudibus decessorum suas addit R. P. votaque et favorem.

misque, ut par est, nobilissimam Barcinonensium civitatem, quae insignem B. Mariae Mercedoniae imaginem religiosissime servat, ipso praeeunte honoris causa Hispaniarum Rege Catholico Alfonso XIII cum augusta Coniuge. Hisce in sollemnibus magnopere cupimus christianam rem universam divinae Matri commendari, ut quae mirandum in modum fidelium captivitati opitulata est, ita crudelissimi huius belli finem nobis impetret. Quod omnes B. Mariae de Mercede cultores ut suis precibus petant, Nos, qui sanctum ipsius scapulare iam inde ab adulescentia gerimus, hortamur ; et cuilibet, quotiens pie hanc formulam usurpaverit « Redemptrix captivorum, ora pro nobis » vel « Piissima Mater de Mercede, ora pro nobis » totiens ccc dierum indulgentiam largimur.

Dignos se filios tanta Matre et fundatrice exhibeant.

Vos vero, dilecti filii, quibus divino munere contigit, ut ipsam Dei Matrem vestrae familiae auctorem haberetis, quo affecti sitis honore, quibus devincti officiis perpendite, memores illius constitutionum vestrarum loci : « etsi totos ad pedes Beatissimae Virginis Mariae, Matris ac Fundatricis nostrae, nos devotio provolvat, nihil tamen aequum aut dignum eius erga nostrum Ordinem beneficiis reputamus ». Hunc igitur caelestis originis dignitate inclitum Ordinem congruis semper ornate virtutibus et, maiorum vestigia secuti, pro Ecclesia contendite. Mutatis temporibus, iam non est christianis probrosa captivitas corporum extimescenda : alia nunc, et ea longe deterior plurimos tenet, servitus animorum, cum usquequaque serpit letalium errorum lues et sectarum improbitas invadit omnia. Itaque multo latius patet campus caritatis ; in quo quidem vos utiliter laborare scimus, vel puerorum mores fingendo, vel catecheses ad populum habendo, vel ea quae spiritus sunt, in custodiis publicis administrando et in nosocomiis, ubi vestrarum quoque Sororum opera dilaudatur.

Captivitati enim corporum magis dolenda animorum servitus successit ita ut campus caritatis exercendae latius quoque pateat.

Sed tamen ad istam virtutis alacritatem in vobis refovendam haec saecularia sollemnia, itemque proxima Ordinis generalia comitia, favente Deipara Virgine, non parum collatura esse confidimus. Atque auspicem coelestium munerum praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et universis qui de ista religiosa familia sunt, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Vota sua benedictione apostolica R. P. cumulat.

Datum Romae apud S. Petrum, die IV mensis iunii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

Dies (4 iun. 1918).

BENEDICTUS Pp. XV.

---

50. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

LITTERAE APOSTOLICAE 25 IUN. 1918

De Tertio Ordine Servorum B. M. V. in Hispania regionibusque ei olim subiectis non nulla statuuntur.

(A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 315)

BENEDICTUS Pp. XV

Ut removeantur abnormes

Ad futuram rei memoriam. — **Relatum est Nobis,** non nullos errores atque abnormes usus in christifidelibus Tertio Servorum B. M. V.

Ordini adiungendis paulatim irrepsisse. Quod praesertim in Hispania, sive ob formam scapularis fidelibus traditi, sive ob adhibitum ritum, ab eo dissimilem, quem haec Sancta Sedes praecepit, sive ob alia id genus, non parum frequenter evenit. Ut igitur omnia ad pristinas leges revocentur atque animi fidelium, quod ad indulgentias lucrandas, huic religioni annexas, nulla aestuent dubitatione, preces dilecti filii hodierni Prioris Generalis Ordinis Servorum B. M. V. libenter excepimus atque apostolica auctoritate, audito etiam dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Praefecto S. Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, haec, quae sequuntur, vi praesentium edicimus ac sancimus, ut sodalitates Septem Dolorum Deiparae Virginis in hispanicae linguae regionibus erectae, quae nunc vera Tertii Ordinis consortia existimantur, quamvis utpote simplices confraternitates Septem Dolorum eiusdem B. M. V. initio erectae sint, perinde ac vera Tertii Ordinis consortia, et sanato, quatenus oporteat, omni erectionis defectu, licite habendae sint: secundum autem praecipimus, ut in posterum, ad omne dubium expellendum, illud tantummodo Tertii Ordinis Servorum B. M. V. consortium in Hispania ac regionibus ei olim subiectis verum legitimumque censeatur, quod supremus Moderator totius Ordinis pro tempore per suum diploma erexerit. Quibus positis, certa nitimur spe, tam frugiferum institutum, cuius omni laude dignus finis est Dei Matrem Perdolentem praecipuo cultu cohonestare, magis magisque in dies suscepturum incrementa. In contrarium facientibus non obstantibus quibuslibet.

usus in Tertio Ordine Servorum B. M. V

SS. D. praecipit 1° ut confraternitates 7 Dol. B. M. V. in regionibus hispanicae linguae vera tertii O. consortia existimentur, sanata, si opus sit, erectione;

2° ut, in posterum, diploma supremi Moder. Serv. B. M. V. ad erectionem sodalicii Tertii O. necessarium sit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die XXV iunii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status*

Dies (25 Iun. 1918).

---

51. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

LITTERAE 4 OCTOBR. 1918

Fratrum Minorum in locis sanctis custodiendis laudantur promerita, et privilegia iis ab Apostolica Sede concessa, confirmantur.

(A. A. S. 2 nov. 1918, 10, 437)

BENEDICTUS Pp, XV.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Inclitum Fratrum Minorum** conditorem, Franciscum Assisiensem in Palaestinam se contulisse et Sepulcrum Domini invisisse argumentis constat adeo certis et illustribus ut in dubium vocari non liceat. Nec minus consentiunt historici hoc iter ab eo habitum esse anno MCCXIX cum, fere biennio ante, alumnos aliquot in Syriam misisset qui Iesu Christi Evangelium, ubi primum insonuit, praedicando propagarent. Ex eo tempore usque ad hanc diem Fratres Minores ibi sine ulla intermissione manserunt, obtinentes Provinciam Terrae Sanctae, omnium quidem totius Franciscalis Ordinis nobilissimam quam patriarcha

Ab itinere S. Franc. Assisiensis in Palaestinam

Fratres Minores Provinciam Terrae Sanc-

tae semper obtinuerunt, locis sanctis a RR. PP. eorum custodiae commissis.

sanctissimus fundaverat Palaestinensia autem, quae divinus ipse christiani nominis Auctor consecravit, augusta religionis monumenta, Dei providentis consilio accidit ut et in manus Ecclesiae catholicae iure domi ii et proprietatis cederent, et Ordini Fratrum Minorum conservanda ac tuenda committerentur. Etenim magna semper exstitit erga Fratres Minores, qui in Palaestina pro Christi gloria elaborarent, benevolentia Sedis Apostolicae : quam benevolentiam tum declarant Gregorii IX Apostolicae Litterae *Si Ordinis Fratrum Minorum*, anno MCCXXX datae, quibus ii Patriarchae Hierosolymitano et Antiocheno commendantur ; tum non obscure hoc indicat quod pluries ad *Soldanos* Aegypti pro christianorum defensione apostolicas legationes obierunt. Eademque de causa Locorum Sanctorum possessionem mature nacti sunt, ac semper deinceps Romani Pontifices, occasione oblata, privilegium eisdem Fratribus eadem Loca custodiendi confirmarunt. Ita Clemens VI in Constitutione *Gratias agimus*, die XXI novembris MCCCXLII ; Martinus V in Constitutione *Ad assiduum*, die VII iulii MCCCCXX ; et Innocentius XI qui in Constitutione *Exponi nobis*, anno MDCLXXXVI edita, haec habet : « Sancta Loca Palaestinae, sive Terrae Sanctae, ac praesertim « sanctissimum Domini Nostri Iesu Christi Sepulcrum, quem ad modum « antehac per Fratres Ordinis Minorum ex huius Sanctae Sedis Apostolicae « concessione custodita fuerunt, ita in posterum quoque ab iisdem Fratribus « custodiri, regi et gubernari, auctoritate Apostolica, tenore praesentium « statuimus et ordinamus ». Quam varium vero et quam multiplex munus sit Fratribus Terrae Sanctae Custodibus, quantorumque laborum ac sumptuum, nemo est qui ignoret. Eorum est enim et divinum tueri cultum in sanctuariis Hierosolymae, Bethleem, Nazareth aliisque ; et peregrinos undique, pietatis causa, advenientes gratuito hospitio accipere ; et catholicis latinis ex Iudaea, Galilaea, Syria, Aegypto ac Cypro curam animarum impendere, scholis, orphanotrophiis praesidiisque eiusmodi adiunctis ; et sacras Missiones ad infideles et acatholicos, maxime in Syria superiore et in Armenia constitutas, exercere. Iam molestias et incommoda omne genus ab iis hoc tanto tempore tolerata non facile quis explicet. Complures numerantur qui ex iis pro fide catholica vitam profuderunt ; plurimi autem qui, pestilentia affectis inserviendo, caritatis martyres occubuerunt. Merito igitur fel. rec. Pius IX, anno MDCCCXLVI in Apostolicis Litteris *Romani Pontifices* ita eos dilaudavit : « Romanorum Antistitum curis praeclare « responderunt S. Francisci alumni, utpote qui nihil plane laboris atque « aerumnarum neque ipsius vitae discrimen recusarunt, quo commisso « officio satisfacerent ». Similiter fel. rec. Leo XIII in Apostolicis Litteris *Salvatoris ac Domini*, die XXVI decembris MDCCCLXXXVII datis : « Pontifices « iam a vetustissimis temporibus ea ad loca, pretioso Humanatis Verbi « sanguine purpurata, oculos convertentes, catholici nominis gentes ad « Christi Sepulcrum recuperandum excitarunt, et postquam illud denuo « in infidelium dicionem cecidit, et Fratribus Minoribus S. Francisci « Assisiensis tantummodo licuit ea asservare, numquam destitere quin, « quacumque ope possent, custodiae saltem consulerent, et Fratrum « eorundem, quos neque persecutionum, neque vexationum, neque saeva « cruciatuum discrimina tanto umquam ab incepto deterruerunt, praesen- « tibus necessitatibus pro re ac tempore providerent ».

Benevolentiam S. Sedis erga illos testimonia innumera testantur.

Necessitatibus Fratrum divina

Cum autem qui Loca Sancta custodiunt, Franciscales opus in manibus habeant maximi impendii, cui quidem ipsi se inopes suppetere non possunt,

admiranda sane est divina benignitas quae catholicorum ex omni ordine largitatem in eorum subsidium excitare numquam destitit. Quo in genere Romani Pontifices nimirum ceteris anteire visi sunt, non solum pro sua ipsorum facultate opitulando, sed etiam vel praecipiendo ut in una quaque orbis catholici dioecesi certae collationes pro Terrae Sanctae necessitatibus fierent, vel communi pietati in eandem causam, propositis quoque Pontificalis Indulgentiae muneribus, stimulos addendo.

Providentia miro semper modo subvenit cum eleemosynis fidelium, tum Romanorum Pontificum subsidiis.

Haec nos commemorata volumus, septimo iam exeunte saeculo, ex quo Seraphicus Patriarcha in Palaestinam venit; eo magis quod, considerantes quem ad modum his difficillimis temporibus Fratres Minores in Terrae Sanctae custodia se gesserint, eos videmus suorum maiorum laudibus omnino dignos exstitisse.

Ut meritis Fratrum dignum rependatur praemium,

Quare cum sanctam et salutarem eorum operam magni a Nobis fieri profitemur, tum quam habent a decessoribus Nostris demandatam sibi curam Loca Sancta custodiendi, eam libentissime eisdem confirmamus cum omnibus iuribus, privilegiis et indulgentiis quibus usque adhuc usi sunt. Postremo tamquam *exclusivam* habentes normam a fel. rec. Leone XIII in Litteris, quas diximus, *Salvatoris ac Domini* traditam, Locis Sanctis subveniendi, quod is ibidem decrevit, idem Nos de Apostolica Nostra auctoritate decernimus « ut venerabiles fratres Patriarchae, Archi- « episcopi, Episcopi et alii totius terrarum orbis locorum Ordinarii, sub « sanctae oboedientiae vinculo curare teneantur, ut respective in cuiuscum- « que dioecesis parochiali ecclesia, una saltem singulis annis vice, nempe « feria sexta maioris hebdomadae, vel alio ad unius cuiusque Ordinarii « iubitum similiter tantum quotannis eligendo die, fidelium caritati Sanc- « torum Locorum necessitates proponantur. Pari autem auctoritate « expresse interdicimus, atque prohibemus, ne quis audeat vel praesumat « eleemosynas pro Terra Sancta quomodolibet collectas in alios usus « convertere atque immutare. Propterea iubemus, collectas, ut superius « dictum est, eleemosynas parochum Episcopo, Episcopum tradere pro- « ximiori Ordinis S. Francisci pro Terra Sancta Commissario; hunc « autem curare volumus ut eaedem quam citius Hierusalem ad Sanctorum « Locorum Custodem, ut moris est, transmittantur ».

Benedictus XV, privilegiis decessorum confirmatis,

decernit ut eleemosynae ex universo orbe pro ipsis colligantur.

Has Litteras firmas et validas haberi volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV octobris, in festo S. Francisci Assisiensis, anno MCMXVIII, Pontificatus Nostri quinto.

Dies (4 oct. 1918).

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

52. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 7 IUN. 1918

Ad Lud. Nazarium S. R. E. Card. Bégin, Archiep. Quebecensem, ceterosque Archiep. et Episc. regionis Canadensis : mutua inter Fideles concordia iterum commendata, dantur normae quod ad scholasticam legem a gubernatoribus Ontarii Status latam.

(A. A. S. 2 nov. 1918, 10, 440)

Prima adhortatio Pontificia deconcordia servanda optime excepta laetos fructus tulit.

Dilecte fili Noster, venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Litteris apostolicis *Commisso divinitus*, quas ad vos dedimus die VIII septembris MCMXVI, clerum populumque catholicum regionis vestrae impenso studio hortabamur ut contentiones omnes animorumque simultates deponerent sive ratione stirpium exortas sive ex diversitate linguarum : simul autem monebamus ut si quas, his de causis, controversias in posterum agitari contingeret, eae caritate incolumi definirentur, *prout* scilicet *decet sanctos, sollicitos servare unitatem spiritus in vinculo pacis*.

Hortationem Nostram non in vacuum, tribuente Deo, cessisse gratulamur ; ea etenim a fidelium coetu, non modo qua par erat observantia excepta fuit, verum etiam communi plausu ac laetitia, ut liceret ideo spem bonam concipere tranquillitatem et concordiam inter canadenses catholicos esse in posterum regnaturam.

Occasione novae legis discidia quaedam instaurata sunt.

At vero, haud multo post, quaedam infauste inciderunt, quae, etsi malae nullius menti tribuenda videntur, sed tamen initam perturbavere pacem ac nova discordiarum semina animis indiderunt. Hinc factum ut ex utraque parte concertantium iterum ad Nos appellaretur, Nosque, per sententiam Nostram, sequestri pacis invocaremur.

Agitur nempe de lege scholastica, quam Ontarii gubernatores iam inde ab anno MCMXIII sanciverunt pro scholis bilinguibus anglo-gallicis. Eam etenim alii ut iniustam traduxere totisque impugnare viribus censuerunt : alii ex adverso nec adeo severe notandam nec tam acriter oppugnandam sunt arbitrati. Opinionum diversitatem secutum est animorum discidium.

Re ad S. S. delata et prudentissime perpensa, edicit S. Pontifex posse Francoo-Canadenses petere a civili potestate ut sibi ampliora iura concedantur,

Cum igitur res tota sententiae Nostrae fuerit delata, Nos quaestionem, pro eiusdem gravitate, diligentissime perpendimus, et ab Emis etiam Patribus Cardinalibus S. Consilii Consistorialis perpendi mandavimus. Quapropter, omnibus considerate inspectis, hoc Nobis edicendum duximus atque edicimus : Posse non iniuste Franco-Canadenses de dicta lege scholastica opportunas a Gubernio declarationes postulare, simulque ampliora quaedam concedi sibi et desiderare et exquirere. Eiusmodi certe sunt : ut inspectores pro *scholis separatis* catholici destinentur ; ut primis annis, quibus pueri scholas frequentant, in aliquibus saltem disciplinis tradendis, praesertim vero ac prae ceteris in christianae doctrinae institutione proprii ipsorum sermonis usus concedatur ; ut liceat etiam catholicis *normales* quas aiunt scholas constituere ad magistros formandos. — Haec tamen omnia, et si quae utilia sunt alia, sic a catholicis petenda sunt ac persequenda ut rebellionis speciem ne habeant neque violentis aut non

nulla tamen specie rebellionis et

legitimis utantur modis ; verum pacate ac modeste, ea videlicet adiumenta omnia adhibendo quae civium cuique ex lege legitimoque more permittuntur ad meliora assequenda quae sibi deberi autument. — Id autem, in re praesenti, eo securius ac liberius asserimus, quod suprema ipsa auctoritas civilis agnoverit et fassa sit legem scholasticam ab Ontarii gubernatoribus latam obscuritate aliqua laborare nec facile determinari posse quinam latae legis limites esse queant.

legitimis tantum mediis adhibitis.

Hos ergo intra fines et modos Franco-Canadensibus libertas esto ad assequendas in lege scholastica interpretationes mutationesve quas optent. Nemo tamen, in posterum, in hac materia, quae ad catholicos omnes pertinet, tribunalia civilia adire ausit litesque inferre nisi conscio ac probante cuiusque Episcopo ; qui quidem, in eiusmodi quaestionibus, nihil constituet nisi communicatis consiliis cum aliis sacrorum Antistitibus ad quos proxime res spectet.

In hac tamen materia nemo ad tribunalia recurrat sine consensu Episcopi.

Nunc autem ad universos Canadensis Dominii Episcopos fratres Nostros convertere sermonem libet, eisque hortationem, quam ante duos annos dedimus, toto studio imoque ex animo iterare ; ut sint nempe *cor unum et anima una*, nec sit schisma inter ipsos neque ratione stirpium neque ratione sermonum. Unus enim atque idem Spiritus *posuit eos regere Ecclesiam Dei*. Spiritus videlicet unitatis et pacis. Sic utique, *forma facti gregis ex animo* [1], maiore auctoritate et efficacitate fas erit vobis, venerabiles fratres, sacerdotibus vestris praescribere (et ut districte praescribatis praecipimus) ut animorum concordiam et ipsi servent et a fidelibus, verbo exemploque suo, servari contendant. Quem ad finem, placet hic iterum atque iterum commendare quae in prioribus Apostolicis Litteris commendavimus : *studeant* nempe *sacerdotes omnes in utraque lingua, anglica et gallica, peritiam usumque habere, invidiisque omnibus amotis, modo una modo altera utantur pro fidelium necessitate.*

Iteratur adhortatio de concordia procuranda, cui incumbent episcopi omnes.

Meminerint demum catholici fideles omnes nihil sibi antiquius esse posse ac debere quam caritatem servare invicem, sic enim se discipulos Christi probabunt : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* [2] ; quod sane tum maxime praestandum est cum dissensionum causae sive ex opinionum discrepantia sive ex utilitatum oppositione enascuntur. Severe autem moneri volumus tam e clero quam ex fidelium coetu universos, quicumque, contra Evangelium doctrinas ac praescripta Nostra, conflictationes, quibus Canadenses ad hoc tempus divisi fuerunt, alere porro aut acuere ausint. Quod si, quod Deus avertat, parere quis detrectaverit, non dubitent Episcopi, antequam res ingravescat, eum ad Apostolicam Sedem deferre.

Quam quoque fovebunt omnes fideles.

Pacis vero turbatores ad S. S. deferendi.

Divinorum munerum auspicem et peculiaris Nostrae benevolentiae testem, vobis, dilecte fili Noster ac venerabiles fratres, et gregi cuique vestrum commisso, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Benedictio apostolica conceditur.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die VII iunii, in festo sacratissimi Cordis Iesu, MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

Dies (7 iun. 1918).

BENEDICTUS Pp. XV.

---

[1] I, PETR., v. 3.
[2] IOAN., XIII, 35.

53. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 16 OCT. 1918

Ad Lud. Nazarium S. R. E. Card. Bégin, Archiep. Quebecensem, de iis quae Summus Pontifex ex Apostolici Officii conscientia hoc bello gessit.

(A. A. S. 2 nov. 1918, 10, 449)

Occasione particularis beneficii peropportune clar. Archiep. agnoviti praeclaram S. P. agendi rationem in hoc bello : sc.

Dilecte filii Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Animus tuus, Nobis et huic Apostolicae Sedi singulariter deditus, omnis in eis tuis litteris apparet, in quibus gratias Nobis agens diligenter quod clarissimo viro finem diuturnae captivitatis impetravimus, occasione uteris ut universam instituti Nostri rationem, quae adhuc bello fuerit, attingas. Ea quidem apertior cuilibet et clarior est quam ut illustranda videatur. Exarserat iam per Europam hic armorum furor, quando ad Pontificatum maximum evecti sumus : cumque id incendium circumscribere Nobis non liceret, nedum restinguere, conari coepimus quod unum restabat, ut coniuncta huic tanto malo incommoda, quantum esset in Nobis, mitigaremus. Hinc illa excogitata Nobis, alia ex aliis caritatis officia variis miseriis angoribusque sublevandis : quae tu officia enumerans, iure affirmas Nos in iis tribuendis nullum inter belligerantes fecisse discrimen. Eodem consilio, quod universitati gentium salutare foret, ut caedes vastationesque finirentur, Nos, quotiescumque tempus visum esset, pacem, scilicet cum iustitia cohaerentem, suasisse, egregie defendis, dolens Patris vocem hortationemque neglectam tum praesertim, cum ea, quae sola viderentur esse posse rei componendae capita proposuisset. Equidem isto pacto caritati Nostrae esse responsum moleste tulimus ; nam quis crederet futurum, ut quod a Nobis profectum esset munus paterni amoris ad homines inter se reconciliandos, id ipsum converteretur adversum Nos in materiam popularis odii ? Quamquam hac in re non tam est miranda quorundam improbitas qui Nos de studio alterutrius partis acriter in vulgus accusarint, quam multorum temeritas, qui vanissimae criminationi fidem adiunxerint. Iam vero hanc iudicii levitatem nequaquam in Canadensibus utriusque linguae catholicis esse reprehendendam, qui Nobiscum semper de hoc bello una et mente et voce consenserint, libentissime ex tuis quoque litteris cognoscimus ; idque consentaneum est eorum in hanc Apostolicam Sedem summae observantiae ac pietati quam tu Nobis diserte confirmas. De hoc igitur solacio, quod amantissimi filii Nobis afferunt, volumus ipse eis, nomine Nostro, gratias persolvas. Quod ad ceteros attinet, non desperamus fore ut demum intellegant quanto in errore versati sint ; habet enim omnino hoc veritas ut nulla umquam vi possit adeo obscurari et deprimi, quin aliquando pulchrior emergat. Nos autem nihil pensi habentes quid homines, praeiudicatis opinionibus addicti, de Nobis iudicent, perseverabimus, quidquid pro apostolico officio debemus, exsequi, Eius nimirum freti praesidio qui nobiscum « omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » se fore promisit. Auspicem divinorum munerum ac testem singularis Nostrae benevolentiae, Apostolicam bene-

eius erga omnes caritatis officia,

adhortationes ad iustam pacem procurandam.

Dolenda permultum fides quae temere calumniis in R. P. est adiuncta a multis,

non autem a Canadensibus fidelibus.

Veritas tamen aliquando fulgebit.

Interim vero R. P. in officio implendo perseverabit.

dictionem tibi, dilecte fili Noster, universoque clero et populo Ecclesiae Canadensis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVI mensis octobris MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto. *Dies (16 oct. 1918).*

BENEDICTUS Pp. XV.

---

54. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

LITTERAE ENCYCLICAE 1 DEC. 1918

Publicae indicuntur preces pro conventu de pace componenda.

(A. A. S. 5 dec. 1918, 10, 473)

BENEDICTUS Pp XV

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod iam diu orbis terrarum anxie expetebat, quod christianae gentes omnes magnis precibus implorabant, quod Nos, ut communium dolorum interpretes, paterno erga omnes studio instanter quaerebamus, id momento factum cernimus ut arma tandem conquieverint. Nondum quidem crudelissimo bello finem sollemnis pax imposuit; sed tamen pactio illa, qua caedes et vastationes terra mari caeloque intermissae sunt, ianuam aditumque ad pacem feliciter patefecit. Quae rerum subita commutatio cur evenerit, multiplices variaeque sane possunt causae afferri: verum si ultima et summa ratio quaeritur, ad Eum demum mens attollatur oportet, cuius nutu moventur omnia, quique, sollicita bonorum comprecatione ad misericordiam inductus, dat humano generi ut a tam diuturno angore luctuque respiret. Itaque pro tanto beneficio ingentes benignissimo Deo agendae sunt atque habendae grates: gaudemusque ob eam rem in orbe catholico crebras et celebres pietatis publicae significationes factas esse. Nunc autem illud est a Dei benignitate impetrandum ut collatum mundo beneficium ac munus cumulet quodammodo et perficiat. Scilicet propediem in unum convenient qui, populorum mandato, debent iustam mansuramque pacem orbis terrae componere. Deliberatio iis habenda est talis, qua nec maior umquam nec difficilior in ullo hominum consilio habita esse videatur. Nimium quantum igitur divini luminis ope indigent, ut recte possint mandatum exsequi. Cum vero communis salutis hoc vehementer intersit, profecto catholicorum omnium, qui, e sua ipsorum professione, humanae societatis bono et tranquillitati student, officium est « assistricem Domini sapientiam » eisdem delectis viris comprecando conciliare. Huius officii Nos, quotquot sunt catholici homines, commonefiant volumus: quare, ut e proximo conventu magnum illud Dei donum exsistat quod est vera pax, christianis iustitiae principiis constituta, vos, Venerabiles Fratres, *Patri luminum* propitiando publicas ad arbitrium vestrum supplicationes in una quaque vestrarum dioecesium paroecia indicere maturabitis. Nostrum vero erit, cum Iesu Christi *Regis Pacifici*

Tamdiu expetita bellicae calamitatis cessatio concessa est,

praesertim benignitate ac misericordia divina.

Gratiarum actionibus addantur nunc enixae preces ut deliberantibus de difficillimis pacis condicionibus astet Domini sapientia.

R. P. au-

tem curabit ut quae consulta erunt a fidelibus omnibus sancte serventur.

vices, quamquam nullo merito, geramus, pro apostolici muneris vi et auctoritate contendere, ut quae ad tranquillitatem ordinis et concordiam toto orbe perpetuandam consulta erunt, ea volentibus animis ubique a nostris excipiantur, inviolateque serventur.

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Dies (1 dec. 1918).

Datum Romae apud S. Petrum die 1 mensis decembris MDCCCCXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

BENEDICTUS Pp. XV.

---

55. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 8 NOV. 1918

Ad Petrum S. R. E. Card. Gasparri, a Secretis Status, post pactas Italiam inter et Austriam indutias.

(A. A. S. 5 dec. 1918, 10, 478) [1]

Signor Cardinale,

Inimici S. Sedis, occasione victoriae italicae, animos contra S. S. excitant.

Dopo gli ultimi fortunati successi delle armi italiane, i nemici di questa Sede Apostolica, fermi nel loro proposito di sfruttare a suo danno tanto i tristi quanto i lieti avvenimenti, hanno procurato e procurano di eccitare contro di essa l'opinione pubblica italiana esultante per la ottenuta vittoria, quasi che il Sommo Pontefice ne fosse invece in cuor suo dispiacente.

Procuravit tamen R. P., quantum potuit, iustam de territoriis mutandis compositionem.

Ella, signor Cardinale, ben conosce per quotidiana consuetudine i Nostri sentimenti, come altresì quale sia la prassi e la dottrina della Chiesa in simili circostanze. Nella lettera del 1° agosto 1917 ai Capi delle diverse Potenze belligeranti Noi facemmo voti, ripetuti poi anche in altre occasioni, perchè le questioni territoriali fra l'Austria e l'Italia ricevessero soluzione conforme alle giuste aspirazioni dei popoli; e recentemente abbiamo dato istruzione al Nostro Nunzio in Vienna di porsi in amichevoli rapporti colle diverse nazionalità dell' Impero Austro-Ungarico che ora si

---

[1] Haec latine ita reddi posse videntur:

Domine Cardinalis,

Post ultimos faustos successus armorum Italorum, inimici huius S. Sedis, proposito inhaerentes omnibus eventibus, sive infaustis sive laetis, in eius damnum utendi, contenderunt et contendunt adversus ipsam populi italici mentem, ob relatam victoriam exsultantem, concitare ac si S. Pontifex contra de illa doleret.

Mentem nostram, Domine Cardinalis, ex cotidiana consuetudine perspectam habes: novisti aliunde quae sit ratio agendi et docendi Ecclesiae in huiusmodi adiunctis. In litteris d. 1ª augusti 1917 ad supremos duces omnium nationum inter se bellantium vota fecimus, in aliis postea adiunctis renovata, ut lites de territoriis inter Austriam et Italiam motae solverentur iuxta iustam populorum voluntatem; ac recens dedimus instructiones Nuntio nostro Vindobonensi ut cum variis populis imperii Austriaci-Hungarici qui nunc in status independentes constituti sunt, amicum commercium ingrederetur. Ecclesia etenim, societas perfecta, cui unicus finis est sanctificatio

sono costituite in Stati indipendenti. Egli è che la Chiesa, società perfetta, che ha per unico fine la santificazione degli uomini di ogni tempo e di ogni paese, come si adatta alle diverse forme di Governo, così accetta senza veruna difficoltà le legittime variazioni territoriali e politiche dei popoli.

Ecclesia omnem regiminis formam legitimam admittere potest et debet.

Crediamo che se questi Nostri giudizi ed apprezzamenti fossero più generalmente conosciuti, nessuna persona assennata vorrebbe insistere nell'attribuirci un rammarico che non ha fondamento.

Non possiamo peraltro negare che una nube turba ancora la serenità nell'animo Nostro, perchè non sono cessate dovunque le ostilità, ed il fragore delle armi cagiona ancora in più luoghi e preoccupazioni e timori. Ma, sperando che la lieta aurora di pace, spuntata anche sul Nostro diletto paese, non tardi ormai a rallegrare gli altri popoli belligeranti, Noi pregustiamo la dolcezza di quel giorno, non più lontano, in cui la carità tornerà a regnare fra gli uomini e la universale concordia stringerà le Nazioni in lega feconda di bene.

Etsi arma nondum ubique sunt deposita, gaudet R. P. de aurora pacis.

Ci è caro intanto di confermare a lei, signor Cardinale, la Nostra particolare benevolenza, e vogliamo che di questa Le sia nuovo pegno la benedizione apostolica che le impartiamo con effusione di specialissimo affetto.

Benedictio apostolica.

Dal Vaticano, 8 novembre 1918.

BENEDICTUS Pp. XV.

---

56. — ACTA SUMMATIM RELATA

A. *Litterae de dioecesibus erigendis, mutandis, etc.* (cf. supra, n. **13**, E, p. 26).

1. Bulla 8 iul. 1918, constituitur dioecesis *Aterradensis* ex occidentali parte dioeceseos Mariannensis, in Brasilia, et duabus paroeciis a dioecesi Uberabensi avulsis. Cathedra episcopalis in urbe Aterrado erit, in ecclesia B. M. Virgini a Luce sacra. E nova dioecesi duo saltem clerici in Collegium Pium latinum Americanum mittendi erunt. Mandata exsequetur R. D. H. Ang. Scapardini, Nuntius ap. in Brasilia. (A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 353).

Dioecesis Aterradensis (Brasilia).

---

hominum omnium temporum et regionum, ut se variis potestatis civilis formis accommodat, ita nulla difficultate mutationes iustas territorii et regiminis politici admittit.

Si haec Nostra iudicia et sensa magis cognoscerentur, nemo, ut putamus, rei conscius, pergere vellet Nobis desiderium cui nulla subest ratio attribuere.

Ceterum negare non possumus serenitatem animi Nostri adhuc obnubilari quod certamina non ubique cessarunt et armorum fragor in pluribus locis anxios et timore plenos animos habet. At, spem foventes fore ut laeta pacis aurora, Nostrae dilectae patriae orta, brevi alios populos bellantes recreet, iam praesentimus dulcedinem illius, iam non remotae diei qua caritas inter homines redibit et universalis concordia omnes nationes foedere, bonorum fonte uberrimo, coniunget.

Lubet interea confirmare tibi, Domine Cardinalis, nostram specialem benevolentiam cuius novam pignori volumus esse benedictionem apostolicam quam tibi cum peculiari amoris nostri manifestatione impertimus.

Ex aedibus Vaticanis, d. 8 novembris 1918.

I. C., S. I.

Eccl. concathedralis in Recife.

2. Bulla 23 iul. 1918, in urbe *Recife*, in Brasilia, quae incolarum numero rerumque commerciis est facile provinciae princeps, ecclesia S. Petri in concathedralem erigitur, ut archiepiscopus Olindensis ibi sacras pontificales functiones peragere ibique cum parte capituli residere libere possit. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 401).

B. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis apostolicis erigendis, etc.* (cf. supra n. **13**, F, p. 27).

In Vicariatus apostolicos, servatis finibus et nomine, eriguntur :

Bornea Hollandica.

1. Brevi 13 mart. 1918, Praefectura *Borneae Hollandicae*, commissa PP. Minoribus Capulatis. (A. A. S. 1 maii 1918, 10, 180).

Vicar. de Betafo (Madagascar).

2. Brevi 24 aug. 1918, Praefectura *de Betafo*, in insula Madagascar, commissa PP. Missionariis *de la Salette*. (A. A. S. 2 nov. 1918, 10, 433).

Nigeria occid.

3. Brevi 24 aug. 1918, Praefectura *Nigeriae* occidentalis. (A. A. S 2 nov. 1918, 10, 434).

C. *Litterae quibus Abbatiae in sua iura restituuntur.*

Abbatia Ottenburana.

1. Brevi 2 iul. 1918, SS. D. N. monasterium Ottenburanum, vulgo *Ottobeuren.*, O. S. B. in Abbatiam sui iuris restituit. Saec. XIII orta, usque ad motas novas res in Germania floruit, cum a° 1802 monasterium suppressum est et Bavarico regno addictum. Gratia regum Bavariae ad usum monachorum restitutum, sed sub auctoritate Abbatis coenobii ad S. Stephani Augustae Vindelicorum positum est. Precibus regis Bavariae, Episcopi Augustani et plurium Abbatum O. S. B. motus, S. Pontifex monasterio Ottenburano omnia sua iura et privilegia restituit. Illud tamen, donec communitas ea sit quae sibi proprium Abbatem eligere possit (quinque enim nunc sunt sacerdotes et 16 fratres conversi), regendum committit Abbati ad S. Stephani, tamquam administratori apostolico. — Assignari poterunt illi monasterio idonei monachi, qui tamen post quinque annos libere, si velint, ad monasterium S. Stephani redibunt. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 403).

Abbatia Ciriciensis.

2. Brevi 6 iul. 1918, monasterium Ciriciense (Szezyziiic) Ord. Cist. in dioecesi Tarnoviensi, quod a° 1244 fundatum, suis monachis a° 1734 fuerat ereptum, ab eis autem a° 1865 partim redemptum, cum iam satis floreat, a SS. D. N. iura Abbatiae iterum recipit, ita ut ad electionem canonicam Abbatis statim procedi possit. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 406).

D. *Litterae de basilicis et ecclesiis.* (De modo quo instituuntur, cf. suprà n. **13**, G).

Basilicae minores declarantur :

Templum SS. Cordis Rhotomagense.

1. Brevi 23 mart. 1918, templum SS. Cordis Iesu, in urbe *Rothomagensi*, stipe fidelium exstructum tantaque populi devotione frequentatum ut nominetur *le Montmartre de Normandie* (A. A. S. 1 maii 1918, 10, 186).

Ecclesia B. M. V. assumptae in Ravello.

2. Brevi 31 iul. 1918, ecclesia B. M. V. in caelum assumptae, civitatis *Ravello*, in dioec. Amalphitana, vetustate (facta est enim cathedra episcopalis a° 1087), eximiis reliquiis et artis operibus conspicua (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 408).

3. Brevi 5 aug. 1918, *templum Carthaginense*, sacrorum antistitum sanctimonia, Conciliorum celebritate, martyrum copia praeclarum, a fundamentis a Card. Lavigerie denuo erectum, quod primarium Leo XIII fecerat. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 411). *Templum primarium Carthaginense.*

4. Brevi 20 sept. 1918, templum *Barcinone* in honorem B. M. V. de Mercede exstructum, ad commemorandam apparitionem eius S. Petro Nolasco, devotione popul. regumque Hispaniae celebre., cultu officiorum sanctorum decorum, multis iam privilegiis ac praesertim indulgentia Portiunculae ditatum. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 435). *Templum B. M. V. de Mercede Barcinonense.*

5. Brevi 19 aug. 1918, *ecclesia S. Ioannis Florentinorum* in Urbe, cum artis operibus eximium, tum pietate fidelium e variis regionibus cultuque conspicuum. (A. A. S. 6 dec. 1918, 10, 475).

E. *Litterae de indulgentiis simul et privilegiis.*

Concessa per litteras in forma Brevis.

1. Indulgentiae plenariae et partiales d. 10 maii 1918, conceduntur visi antibus sacram aedem *La Chapelle-Montligeon*, dioec. Sagiensis, et pia exercitia ibi peragentibus. Conceditur altaribus dicti loci privilegium altaris privilegiati qualibet feria II. (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 306). *Opus piaculare « de Montligeon ».*

2. Brevi 11 iun. 1918, confirmantur omnia privilegia concessa novaque addantur, quorum alia ipsum altare B. M. V. de Montligeon respiciunt, alia omnes moderatores paroeciales pii operis aut sacerdotes sodales qui pro defuncto celebrent. (A. A. S. ibid. 312). *Idem opus.*

3. Sodalitatibus « Foederis missae cotidianae » in archid. Birminghamiensi erectis vel erigendis indulgentiae iam eidem operi alibi concessae conceduntur d. 13 mart. 1918. Item privilegium altaris privilegiati in missa pro defuncto sodali eiusdem foederis. (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 307). *Foedus « missae cotidianae ».*

4. Amplissima privilegia, epistola d. 25 iun. 1918, sacerdotibus qui adhaeserint sodalicio « a transitu S. Joseph », sc. facultates annectendi coronis indulg. apostolicas, Rosarii, Crucigerorum ; imponendi scapularia ; altare privilegiatum quotiens pro agonizante celebrant, etc. (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 317). *Sodalitas « transitus a S. Ioseph ».*

F. *Litterae de solis indulgentiis* (cf. supra, n. 13, K. p. 2)).

Indulgentiarum concessiones per litteras in forma Brevis :

1. Plenariae et partiales 22 mart. 1918, membris sodalitatis Nostrae Dominae a Bona morte, a presbyteris S. Mariae (de Tinchebray) haud ita multo ante erectae. Laudatur apostolatus bonae mortis, quem rite sub patrocinio B. M. V. Perdolentis exercent. Preces et rythmus in hon. B. M. V. Perdolentis indulgentiis ditantur. (A. A. S. 1 maii 1918, 10, 181). *Pia opera in honorem B. M. V. Perdolentis.*

2. Indulg. plenaria, 3 apr. 1918, sororibus Burdigalensibus a sancta Familia pro pia exercitatione in honorem S. Familiae per integrum mensem peracta. (A. A. S. 1 maii 1918, 10, 187). *Exercitium in honorem S. Familiae.*

3. Foederis internationalis « Pro Pontifice et Ecclesia » sodalibus, 8 iun. 1918, indulgentia plenaria, si certis festis diebus, sacramentis receptis, ecclesiam visitantes ad intentiones S. Pontificis oraverint ; et indulgentiae partiales recitantibus orationem « Tu es Petrus » etc. (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 309). *Foedus « Pro Pontifice et Ecclesia. »*

Oratio in hon. S. I. B. de la Salle.

4. Indulg. 300 d., semel in die, Fratribus a Scholis Christianis orationem « O Dieu, qui pour donner l'éducation » etc. recitantibus, 17 iun. 1918 (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 314).

Oratio in hon. SS. Cordis Iesu.

5. Indulg. plenaria recitantibus per mensem orationem « Sacratissimum Cor Iesu, protege familias nostras », quo die s. Dape refecti ecclesiam aut *publicum* oratorium visitaverint orantes ad intentiones S. Pontificis — 26 iun. 1918. (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 316).

Sodales D. N. Infantis Iesu Pragensis.

6. Indulg. plenaria sodalibus domini Infantis Iesu sub titulo Pragensis, die quo festum sodalitatis celebratur, consuetis condicionibus, 22 iul. 1918. (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 407).

Triduum in hon. S. Fr. Assis.

7. Epistola 4 oct. 1918, indulg. plenariae et partiales, occasione tridui sollemnis in Assisiensi Patriarchali basilica celebrandi, in recordationem inventi abhinc centum annis corporis S. Franc. Assisiensis. (A. A. S. 2 nov. 1918, 447).

G. *Litterae de sodaliciis*, etc.

Sodalic. S. Crucifixi.

Motu proprio 1 iul. 1918, SS. D. novas constitutiones *sodalicii SS. Crucifixi* ad S. Marcelli ratas habet, quo studia colendi sanctissimam Effigiem magis foveantur. (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 305).

H. *Epistola ad Episcopos Poloniae.*

Visitator Ap. Poloniae.

Epistola 25 apr. 1918, nuntiatur R. P. D. Alex. Kakowski, Arch. Varsoviensi eiusdemque provinciae episcopis munus apostolici visitatoris, concreditum *R. D. Achilli Ratti*, qui res omnes ecclesiasticas Poloniae examinaturus sit, quo facilius intenta ab episcopis instauratio illius Ecclesiae partis perficiatur. (A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 227).

Ios. CREUSEN, S. I.

---

57. — S. CONGR. S. OFFICII

INSTRUCTIO 9 IUN. 1915

Ad Rev. locorum Ordinarios Familiarumque religiosarum Moderatores super inviolabili sanctitate sigilli sacramentalis [1]

Sigillum sacram. sanctissime servari Deus voluit.

Naturalem et divinam sigilli sacramentalis legem in Ecclesia Christi semper et ubique sanctissime servatam fuisse ne ipsi quidem confessionis sacramentalis acriores hostes in dubium umquam revocare serio potuerunt. Idque providentissimo Dei consilio absque ulla dubitatione tribuendum est, qui sacramentalem confessionem veluti secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam hominibus misericorditer offerens, omnem aversationis causam ab ea dignatus est amovere.

---

[1] *Monitore ecclesiastico*, iun. 1917, p. 199, ss.

Quidam, servato substantialiter sigillo, modo loquendi liberiore offendunt.

Non desunt nihilo minus quandoque salutaris huius sacramenti administri qui, quamquam reticitis omnibus quae paenitentes quomodocumque prodere queant, de submissis in sacramentali confessione clavium potestati sive in privatis collocutionibus sive in publicis ad populum contionibus (ad auditorum, ut aiunt, aedificationem) temere sermonem facere non vereantur. Cum autem in re tanti ponderis et momenti nedum perfectam et consummatam iniuriam sed et omnem iniuriae speciem et suspicionem studiosissime evitari oporteat, palam est omnibus quam mos huiusmodi sit improbandus. Nam etsi id fiat salvo substantialiter secreto sacramentali, pias tamen audientium aures haud offendere et diffidentiam in eorum animis haud excitare sane non potest. Quod quidem ab huius sacramenti natura prorsus est alienum, quo clementissimus Deus quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisimus, misericordissimae suae pietatis xenio penitus abstergit atque omnino obliviscitur.

Proscribitur omnis sermo de auditis in confessione.

Haec animo reputans Suprema haec Sacra Congr. S. Officii muneris sui esse ducit omnibus locorum Ordinariis Ordinumque Regularium et quorumcumque Religiosorum Institutorum Superioribus, graviter onerata eorum conscientia, in Domino praecipere ut huiusmodi abusus, si quos alicubi deprehendant, prompte atque efficaciter coercere satagant; utque in posterum tam in scholis theologicis quam in casus moralis, quas vocant, conferentiis et in publicis et in privatis ad clerum allocutionibus et adhortationibus sacerdotes sibi subditos sedulo edoceri curent ne quid umquam, occasione praesertim sacrarum Missionum et exercitiorum spiritualium, ad confessionis sacramentalis materiam pertinens, quavis sub forma et quovis sub praetextu, ne obiter quidem et nec directe nec indirecte (excepto casu necessariae consultationis iuxta regulas a probatis auctoribus traditas proponendae) in suis seu publicis seu privatis sermonibus attingere audeant; eosque in experimentis pro eorum habilitatione ad confessiones excipiendas hac super re peculiariter examinari iubeant.

Transgressores puniantur.

S. Congregatio confidit neminem ex confessariis huiusmodi praescriptionibus contraventurum: quod si secus acciderit, praedicti Ordinarii et Superiores transgressores graviter moneant, recidivos congruis poenis percellant, ac in casibus gravioribus Supremo huic S. Tribunali rem quam primum deferant.

Dies (9 iun. 1915).

Datum Romae ex aedibus S. Officii, die 9 iunii 1915.

R. Card. Merry del Val.

Annotationes

S. Officium, instructione, cui abusus quidam ansam dedit, Ordinariis et Superioribus religiosis varias obligationes imponit. Quae ut facilius explanentur, quaenam sit sigilli natura et obligatio brevi recolendum est.

Sigillum sacramentale vocatur obligatio qua confessarius ea quae in ordine ad sacramentalem absolutionem dicta ex confessione novit secreta servare debet. Directa eius *violatio* adest si materia sigilli una cum persona refertur: indirecta si de materia ita sermo miscetur ut persona detegi possit. Praeterea prohibetur omnis *usus* scientiae in confessione acquisitae, qui paenitenti vel sacramento detrimentum creare possit. [57]

S. Officium, etsi non negat violatum fuisse umquam, etiam directe, sigillum, miram Providentiae curam affirmat qua tam perfecte servatur. Abusum tamen carpit quo, sine ulla violatione, usus imprudens fit eorum quae ex confessione cognoscuntur. Hac vero temeritate praesertim in contionibus peccant, spe decepti aedificandi auditores his narrationibus. Unde fieri potest ut indocti viri, violationem falso suspicantes, minorem iam fiduciam erga sacramentum gerant, alii autem sive fideles sive impii ex specie iniuriae scandalizentur.

Quae mala ut arceantur, Ordinarii et Superiores religiosi haec tria facere iubentur :

1° Prompte atque efficaciter satagant ut huiusmodi abusus tollatur, si exsistat.

2° Edoceant subditos suos rectum in re tam ardua agendi modum.

Is est ut de rebus quae in confessione audierint sive in publicis, sive in privatis sermonibus neque directe, neque indirecte, etiam obiter, quidquam attingant.

Excipitur, ut patet, necessaria consultatio ita instituta ut sigillum omnino sartum tectumque maneat.

Directe attingit qui, mentione confessionis facta, ipsa peccata sibi patefacta narrat : indirecte, qui dicat se ex confessionibus *sibi* factis ad hoc vel illud iudicium de modo agendi hominum esse adductum.

Quia finis instructionis est ut omne periculum ab usu sacramenti removeatur, eam violare minime videtur qui, remotis tum qualibet sigilli violatione, tum quovis scandali periculo, scientia in confessionibus acquisita utatur ad docendum vel consulendum, v. g. in Schola theologiae moralis, in conferentiis casuum. Ceterum in ipso modo casum proponendi saepe ita mutabitur materia confessionis ut ne indirecte quidem attingi dicenda sit. Quod ad scandali periculum, multum refert coram quibus et quo modo loquaris, utrum v. g. coram sacerdotibus an laicis, serio an iocose. Ut ad praxim veniamus, damnatae non videntur locutiones huiusmodi : « Ne imitemini eos qui involuntarias mentis evagationes ex modo quo confitentur pro peccatis habere videntur ». « Modo quo non nulli confitentur, validum de sincero eorum dolore dubium confessario ingeritur ».

In schola theologiae moralis vel in conferentiis casuum conscientiae : « Si quis paenitens ita confiteatur... » et dantur verba quae in confessionibus forte sunt audita.

Ubi vero materia sacramenti in genere omnino attingitur, ad propriam experientiam, modo omne violationis sigilli periculum absit, provocare liceat, ut si missionarius dicat : « Experientia doctus assero multos paenitentes multo minorem, quam par sit, confidentiam in auxilio gratiae fovere ».

Ut paucis concludam, S. Officium, ad abusus vitandos, severe urget obligationem divino-naturalem : immo illam eatenus extendit quod, ob finem melius obtinendum, usum scientiae qui *per se* nullo peccato inficeretur, proscribit, v. g. non iam potest quis etiam indirecte in privato colloquio materiam sacramentalis confessionis, ut omne aliud indifferens obiectum, attingere.

Etsi instructio ad Ordinarios et Superiores dirigatur, praescriptum de modo loquendi ipsis confessariis directe imponitur, ut ex conclusione patet.

Omnes autem discipuli de hac doctrina specialiter examinandi erunt.

3° Transgressores primo graviter monendi sunt, dein puniendi. Immo si casus fuerit gravior, ad ipsum S. Officium referendus erit. I. C., s. I.

---

58. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM 7 IUN. 1918

Circa quasdam propositiones de scientia animae Christi

(A. A. S. 1 iul. 1918, 10, 282)

Feria IV, die 5 iunii 1918

Proposito a Sacra Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus dubio : Utrum tuto doceri possint sequentes propositiones :

Dubia.

I. Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam, quam habent beati seu comprehensores.

II. Nec *certa* dici potest sententia, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis.

III. Placitum quorundam recentiorum de scientia animae Christi limitata, non est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia universali ;

Responsum.

Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum decreverunt : *Negative*.

Insequenti vero feria V eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de his Ssmo D. N. Benedicto Papae XV relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum PP. approbavit, confirmavit et publicari mandavit.

Dies (7 iun. 1918).

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 7 iunii 1918.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

---

59. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 25 APR. 1918

De quibusdam Ordinariorum facultatibus

(A. A. S. 1 maii 1918, 10, 190)

Novus Codex Ordinariis multas facultates elargitur, quarum exempla dantur.

Proxima sacra Pentecostes die, novo ecclesiasticarum legum Codice vim obtinente, omnes locorum Ordinarii facultatibus quam pluribus ipso iure instruentur, quas antea ab Apostolica Sede postulare solebant et communibus indultis assequebantur. Sufficit enim consulere canonem 349 collatum cum 239 circa plura privilegia personalia, quibus Episcopi augentur, canonem 386 circa electionem examinatorum et iudicum synodalium, 468 et 914 circa benedictionem papalem *in articulo mortis* et in maioribus anni sollemnitatibus, 534 et 1532 circa alienationes, 806 circa sacri iterationem, 822 circa Missae celebrationem extra ecclesiam et oratorium, 1006 circa ordinationes extra tempora, 1043 et 1045 circa dispensationes ab impedimentis matrimonialibus, 1245 circa dispensationes ab abstinentia et ieiunio, 1304 circa benedictionem sacrorum utensilium, quin de aliis multis hic mentio fiat, ut ilico appareat Episcopos, vi Codicis, tanta munitos esse potestate ut, quotiens Ecclesiae utilitas et animarum salus id requirat, communis legis rigorem temperare et iustas dispensationes largiri aeque opportuneque valeant.

Quare facultates triennales, etc. supervacaneae fiunt.

Quapropter indulta quae hucusque, postulantibus Ordinariis, ad hunc finem concedebantur, quaeque vel in Brevi dicto 25 annorum, vel in formulis typis impressis ad decennium, ad quinquennium aut etiam ad triennium valituris continentur, supervacanea evadere videntur ; quin immo confusionem haud levem ingerere, eo quod a novis Canonici Iuris ordinationibus in pluribus discrepant.

Ideoque decernitur :

Hisce itaque de causis, nec non ad discrimina in canonica disciplina tollenda maioremque unitatem in Ecclesia inducendam, S^mus D. N. Benedictus Pp. XV, de consulto peculiaris coetus Emorum Patrum Cardinalium, hoc S. C. Consistorialis decreto ea quae sequuntur statuit et sanxit :

1. Facultates triennales, etc. supprimuntur, exceptis territoriis S. C. de P. F.

1) exceptis locis S. Congregationi de Propaganda Fide subiectis, pro quibus suo tempore quae opportuna erunt decernentur, alibi, in universis scilicet dioecesibus iuri communi obnoxiis, facultates omnes pro foro externo Ordinariis concessae, quaeque in Formulis et Brevi superius recensitis continentur, a die 18 maii huius anni cessabunt, neque amplius in usu esse poterunt ;

2. Sanantur dispensationes quae ex probabili ignorantia concessae fuerint.

2) in locis tamen remotioribus aliisque ad quae, sive praesentis belli causa, sive alia qualibet ratione, praesentis decreti notitia utili tempore non pervenerit, dispensationes et ordinationes vi veterum facultatum ab Ordinariis forte concessas S^mus Dominus ratas habet, firmo tamen ut ipsi ab acceptae notitiae die, si res adhuc sit integra, huic decreto se conforment ;

3. Facultates pro foro int. a S. Paenit. datae non supprimuntur.

3) facultates pro foro interno a S. Paenitentiaria datae, aliaeque ratione praesentis belli concessae, aut peculiaribus de causis ab Ordinariis obtentae, sub huius decreti dispositione non comprehenduntur, et ideo abolitae non sunt ;

4) circa dispensationes matrimoniales, quamvis vi canonum 1043-1045 Ordinarii opportunas dispensationes largiri queant : « *urgente mortis* « *periculo* » et « *quotiens impedimentum detegatur cum iam omnia sint* « *parata ad nuptias, nec matrimonium sine probabili gravis mali* « *periculo differri possit* », nihilo minus Ssmus Dominus, attentis temporum et locorum adiunctis, haec ulterius indulgenda decrevit : *4. Circa dispensationes matrimoniales specialis fit ordinatio*

a) ut locorum Ordinarii in America, in Insulis Philippinis, in Indiis Orientalibus, in Africa extra Mediterranei maris oras, et in Russia, per quinquennium a die 18 maii huius anni, dispensare valeant ab impedimentis minoris gradus quae recensentur in can. 1042, servatis regulis in eo Codicis capite statutis : itemque ut matrimonia nulliter contracta, ob aliquod eiusdem minoris gradus impedimentum, in radice sanare queant, iuxta regulas in capite XI, tit. VII, lib. III Codicis *de convalidatione matrimonii* positas, monita parte impedimenti conscia de sanationis effectu ; *pro locis quibusdam dissitis*

b) ut iidem locorum Ordinarii dispensare pariter per quinquennium valeant ab impedimentis maioris gradus, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici (exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio), nec non ab impedimento impediente mixtae religionis, si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit et urgens necessitas dispensandi supervenerit, pendente recursu. Concedendo tamen hisce in casibus dispensationes, Ordinarius prae oculis semper habeat regulas statutas in Codice, lib. III, tit. VII, cap. 2, 3 et 4, circa impedimenta in genere et in specie, itemque clausulas apponi solitas in matrimoniis cum hebraeis et mahumetanis ; nec dispensationem concedat nisi cave.it de plena earum omnium observantia iuxta sacrorum canonum praescriptiones, et iuribus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum circa taxarum solutionem consulat ;

c) ut Ordinarii Galliae, trium regnorum Magnae Britanniae, Germaniae, Austriae et Poloniae, durante bello, quotiens aditus ad S. Sedem difficilis aut impossibilis saltem per mensem praevideatur, iisdem facultatibus uti possint, quae supra sub litteris *a* et *b* recensentur. *aut bello a commercio cum S. S. impeditis.*

Praesentibus valituris de mandato Ssmi contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. C. Consistorialis, die 25 aprilis 1918. *Dies (25 april. 1918).*

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Assessor.

Annotationes

1. Episcopi a generalibus Ecclesiae legibus, exceptis paucis casibus, dispensare non poterant. Ne tamen ad S. Sedem saepius recursus haberetur, ipsis *speciales* facultates tribuebantur, sive ordinariae sive extraordinariae.

Quae utrumque forum respiciebant, post reformatam curiam romanam, a S. Congr. de P. F. in solis regionibus sibi subditis, a S. Congr. Consistoriali in aliis dioecesibus concedebantur ; quae solum forum internum, a S. Paenitentiaria. Variis *formulis* edebantur, quarum aliae numero I, II,

III, etc. distinctae *ordinarias* facultates, aliae littera A, B, C, etc. a, b, c, etc. notatae *extraordinarias* continebant. — Pro tempore concessionis, triennales, quinquennales, decennales [1] vocabantur. Immo interdum ad 25 annos brevi concedebantur.

Decreto tolluntur omnes istae facultates, exceptis iis quae pro foro interno a S. Paenitentiaria conceduntur.

2. Causa suppressionis duplex est :

1° Quod Ordinarius loci, vi multorum canonum, iam ea munitur potestate quam utilitas Ecclesiae et animarum salus requirit. Praeter canones in decreto citatos, notari possunt c. 81 (de dispensatione in casu urgenti) ; c. 990 (de irregularitatibus) ; c. 1125 (de extensione privilegii Paulini) c. 1401 (de liberis prohibitis) ; 2314 (de absolutione ab haeresi et apostasia) ; etc.

2° Quia formulae a novo iure discrepantes confusionem ingererent.

Ne tamen suppressio in damnum animarum cedat, quattuor statuuntur exceptiones :

1) Territoria S. C. de P. F. a decreto eximuntur. Pro illis novae nuntiatae formulae iam sunt confectae, tres scilicet, quarum altera et tertia formam minorem et maiorem habent. His vicarii et praefecti apostolici amplis omnino facultatibus muniuntur.

2) S. Pontifex ratas habet omnes dispensationes quae ex ignorantia probabili decreti concessae fuerint.

3) Facultates a S. Paenitentiaria concessae non tolluntur ; quarum ope facile erit in casibus occultis dispensatione vel absolutione bono animarum consulere.

4) Facultates extraordinariae *ad tempus* conceduntur in regionibus remotioribus et in iis unde recursus ad S. Sedem ob bellum plurimum impeditur. Episcopi Belgii speciales quoque facultates acceperant.

Notandum est non omnes *dioeceses* a S. Congr. Consistoriali pendere : multae enim in regionibus quarum incolae plerique pagani sunt S. Congregationi de P. F. subiciuntur. Ex citatis in decreto regionibus, a S. Congr. Consist. pendent in Indiis Orientalibus sola dioecesis Goana ; in Africa dioeceses Carthaginensis, Algeriensis, Septennenuis (Cecta), Angolens's, Congensis, Praelatura nullius Mozambicensis ; praeterea 7 dioeceses in variis insulis constitutae [2].

N. B. Verum ad temperandam necessitatem recurrendi ad S. Sedem pro dispensationibus frequentioris usus, S. C. de Sacramentis novas formulas parat quibus easdem Ordinariis ob rationabilem causam petentibus concedet ut ab impedimentis matrimonialibus praecipue minoris gradus habitualiter dispensare possint. I. C., s. I.

---

[1] De facultatibus cf. KONINGS-PUTZER, *Commentarium in facultates apostolicas*, ed. 4a, 1897. — [2] Cf. MONIN, A. *De curia romana*, Lovanii, 1912, p. 277 s.

60. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSUM 1 IULII 1918

De facultate applicandi missas in favorem seminariorum

(A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 325)

Decreto 25 apr. 1918 non cessarunt indulta circa missas in favorem seminarii applicandas.

Quaesitum est a non nullis Episcopis utrum decretum S. Congregationis Consistorialis diei 25 aprilis huius anni, quo statuebatur facultates a S. Sede Ordinariis per communia indulta concessas finem esse habituras, die quo Codex Canonici Iuris vigere coepisset, comprehenderet etiam indulta quaedam circa missas in favorem Seminarii applicandas non nullis dioecesibus concessa.

Huic dubio, de mandato SSmi D. N., S. Congregatio respondit: memorata indulta non fuisse comprehensa, ideoque in suo robore manere.

Dies (1 iul. 1918).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 1 iulii 1918.

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Assessor.

ANNOTATIO

Decretum S. Congr. Consist. 25 apr. 1918 (cf. supra, n. 59), cum formulas generales facultatum respiciat, eas quae per *specialia* indulta concessae sunt non attingit.

---

61. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 30 APR. 1918

De clericorum frequentia in laicis Universitatibus

(A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 237)

Iam pridem frequentatio laicarum Universit. clericis ab Episcopis expresse pendebat.

Nemo de sacro clero laicas Universitatum facultates frequentare potest ibique profana quaevis studia peragere, nisi de Episcopi sui voluntate vel beneplacito. Id ex praescriptis Codicis canonici aperte deducitur. Neve haec dispositio nova est aut primum inducta. Etenim tum Leo XIII, tum Pius X, f. ambo r., id aperte sanxerunt; alter per *Instructionem* sub die 21 iulii 1896 a Sacra Congregatione EE. et RR. ad Ipsius mentem impertitam, quaeque incipit *Perspectum est Romanos Pontifices*, alter vero in Encyclica *Pascendi* sub die 7 septembris 1907, nec non *Motu Proprio* diei 1 septembris 1910, qui incipit *Sacrorum Antistitum*.

Hinc patet totam hanc de frequentandis Universitatibus laicis materiam in Episcoporum iure ac potestate esse positam, nec deesse regulas quibus ipsi in re dirigantur.

Rogantibus locorum Ordinariis, Benedictus XV decessorum prae-

Quoniam tamen non nulli locorum Ordinarii pressiores exquisierint normas, quibus ipsi ex iure procedant, ac maxima caveantur discrimina quae ex diuturna tristique experientia tam vitae sanctitati quam catholicae doctrinae puritati sacerdotibus laicas Universitates celebrantibus impen-

scripta confirmans, haec nova statuit :

dunt ; SSmus D. N. Benedictus PP. XV, causa prius rite discussa penes S. C. Consistorialem, de consulto Emorum eiusdem S. Congregationis Patrum, Decessorum Suorum Leonis XIII et Pii X supra memoratas ordinationes confirmans easque in suo pleno robore permanere declarans, haec insuper edicenda ac statuenda suoque nomine promulganda constituit :

1. Nemo, nisi sacerdos fructus promittens, ad laicas univers. mittatur.

1. Nullus ad laicas Universitatum facultates destinetur nisi sacerdotio iam auctus, quique spem bonam ingerat fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem tam ingenii vi ac perspicacia, quam sanctitate morum adiciat.

2. In hoc negotio Episcopus solam dioeceseos necessitatem aut utilitatem respiciant.

2. Episcopus in destinando sacerdotes suos ad laicas studiorum Universitates frequentandas nihil aliud prae oculis habeat, nisi quod dioecesis suae necessitas vel utilitas exigat, ut nempe in Institutis ad iuventutem erudiendam destinatis idonei comparentur magistri.

3. Illi sacerdotes ab examinibus canonicis ne eximantur.

3 Qui, pro hac norma, ad Universitates laicas frequentandas destinabuntur sacerdotes, si nuovensiles sunt, ab examinibus, quae in can. 130 et 590 praescripta sunt, minime eximantur, quin potius eadem subire vel strictius iubeantur, ne, profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant, contra praescriptum can. 129.

4. Etiam post illa studia sacerdotes ab Ordinario in omni vitae dispositione dependent.

4. Expletis demum in laica quivis Universitate praescriptis studiorum cursibus, sciant sacerdotes ac meminerint se Ordinario suo pari omnino ratione ac antea subiectos ac dioecesis servitio manere emancipatos. Quam ob rem nemini fas erit magisteria saeculari aliave officia pro suo lubito, maximeve contra Ordinarii sui voluntatem, suscipere ; quod si quis fecerit, congruis poenis, non exclusa suspensione a divinis, plectatur.

5. Quae omnia religiosis quoque sunt applicanda.

5. Haec omnia quae de clero saeculari sunt dicta, religiosos etiam regulares, congrua congruis referendo, sunt applicanda.

Dec. 30 apr. 1918.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 30 aprilis 1918.

C. Card. De Lai, Episc. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Assessor.

Annotationes

Hoc decreto specimen datur instructionum « quae... Codicis praeceptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant » [1]. Quae statuit enim ex canonibus de oboedientia ab omnibus clericis suo Ordinario debita et de suprema Episcoporum in studiorum instituta vigilantia generice tantum colligi posse videntur. Canones et decretum ad normam instructionis Leonis XIII *Perspectum est* [2], Encyclicae Pii X *Pascendi* [3] et motus proprii *Sacrorum antistitum* [4] erunt interpretanda. Ea enim omnia Benedictus XV confirmat et ex iis plures huius decreti normae desumuntur.

Laicae Universitates eae sunt quibus laici praesunt, non

[1] *Motu proprio* **cum iuris canonici**, 15 sept. 1917. Cf. supra, p. 16, n. 7
[2] Vermeersch, s. i. *de Religiosis*, II, n. 251, p. 528.
[3] » *Period.* IV, n. 228, p. 1, ss.
[4] » *Period.* V, n. 444, p. 197, ss.

autem eae quas canonice erectas Superiores ecclesiastici moderantur ; neque laicae *Universitati* assimulanda est *Facultas*, quae in clericali Universitate, Decanum et professores laicos habeat. Si vero Facultas theologica, etiam a catholicis et sacerdotibus regatur at in Universitate laicali instituatur, praescriptis huius decreti subicietur. Itaque ex speciali S. Sedis praescripto clerici Facultatem theologicam Universitatis Argentoratensis ante sacerdotium frequentare possunt. Concessum est quoque in variis locis ut clerici post absolutum tertium theologicae annum, necdum sacerdotio initiati, Facultatem *theologicam* Universitatis catholicae frequentarent. I. C., s. I.

---

62. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 2 AUG. 1918

De extensione facultatum quorundam ordinariorum durante bello

(A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 363)

Revocato tenore decreti « Proxima sacra » 25 apr. 1918

Decreto diei 25 aprilis huius anni, quod incipit *Proxima sacra*, dum statuebatur facultates plures, quas communibus indultis S. Sedes Ordinariis concedere solebat, finem esse habituras die qua canonici iuris Codex vim exserere inciperet ; simul circa matrimoniales dispensationes, praeter ea quae Codex tribuebat, SSmus. D. N. Benedictus Pp. XV indulgebat ea quae sequuntur :

a) ut locorum Ordinarii in America, in insulis Philippinis, in Indiis Orientalibus, in Africa extra Mediterranei maris oras et in Russia, per quinquennium, servatis canonicis regulis, dispensare valerent ab impedimentis minoris gradus, et matrimonia ob eadem impedimenta nulliter contracta in radice sanare quirent ;

b) ut iidem Ordinarii pariter per quinquennium dispensare possent etiam ab impedimentis maioribus, iuris tamen ecclesiastici (duobus solummodo exceptis) et ab impedimento impediente mixtae religionis, et matrimonia ob impedimenta maiora nulliter contracta in radice sanare.

Haec tamen facultas circumscribebatur condicione *si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit et urgens necessitas dispensandi supervenerit, pendente recursu ;*

c) denique ut Ordinarii Galliae, regni uniti Magnae Britanniae et Hiberniae, Germaniae, Austriae-Ungariae et Poloniae, durante bello, quotiens aditus ad S. Sedem difficilis aut impossibilis saltem per mensem praevideatur, iisdem facultatibus uti possent, quae sub litteris *a)* et *b)* remotioribus aliis Ordinariis erant concessae.

petitio plurium ordinariorum Americae proponitur.

Verum ex parte plurium Americae Ordinariorum observatum est, ex defectu securitatis maris, praesentis belli causa, se in condicione versari vel peiori ac Ordinarii Europae sub littera *c)* recensiti ; ideoque supplices

[60-61]

preces porrexerunt ut pari indulto ac illi munirentur : certum enim est in praesenti rerum statu plus quam mensem requiri ad S. Sedem ex America adeundam.

Petitionibus annuens S. P. concedit extensionem facultatum de dispensationibus matrimonialibus,

Porro SSmus Dominus hisce postulationibus, quae iustae sibi visae sunt, annuendum censuit ; ideoque praesenti S. Congregationis Consistorialis decreto benigne pro tempore praesentis belli indulget ut Ordinarii locorum remotiorum, de quibus sub littera *a)*, dispensare valeant ab impedimentis maioribus et ab impedimento impediente mixtae religionis, et sanare in radice matrimonia nulliter contracta ob dirimens impedimentum de quo supra, quin obligati sint condicionem illam et restrictionem, sub littera *b*) appositam, servare, hoc est *si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit et urgens necessitas dispensandi supervenerit, pendente recursu.*

modo ratio de usu facultatum reddatur.

Debebunt tamen singuli Ordinarii in fine cuiuslibet anni, quousque dura haec rerum condicio perseverabit, rationem reddere S. Congregationi de Sacramentis de specie et numero dispensationum quas ipsi concesserint, eaque occasione iuribus eiusdem S. Congregationis circa taxatum solutionem satisfacere.

Clausulae.

Praesentibus valituris, adiunctis, quae modo sunt, perdurantibus, et contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Dies 2 aug. 1918).

Datum Romae ex S. C. Consistoriali, die 2 augusti 1918.

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Assessor.

Annotationes

Iura S. Congr. de Sacramentis, quorum in ultima paragrapho mentio fit, ea sunt quae ipsi soluta essent si eius dispensatio tempestive ad Ordinarium pervenisset. Etiamsi ipse ob urgentem causam, re ad S. Sedem delata, dispensavit, taxam ad S. Congregationem mittere debet.

Facultates de quibus in n. 59 et in hoc decreto agitur, ad sex menses post signatam pacem duraturas esse monebit decretum S. C. Consist. 4 mart. 1919. I. C., s. I.

---

63. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSUM 2 AUG. 1918

De legibus et decretis Conciliorum provincialium Westmonasteriensium

(A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 365)

Dismembratio provinciae Westmonasteriensis non impedit quin in territorio pristinae provinciae adhuc vigeant

Quaesitum fuit utrum dismembrata proximis praeteritis annis ecclesiastica provincia Westmonasteriensi et creatis ex ea novis quattuor provinciis, leges et decreta Conciliorum provincialium Westmonasteriensium, quae praecesserunt, quaeque annis 1852, 1855, 1859 et 1873 celebrata sunt, adhuc vim obligandi habeant et debeant ab omnibus ad unguem servari ; an potius in novis provinciis valere cessaverint, nec amplius ea rata ac firma haberi debeant.

Re maturo examini subiecta, SS^mus D. N. Benedictus Pp. XV iussit responderi: *leges quattuor Concil. Westm.*

Affirmative ad primam partem, salvis tamen novi Codicis praescriptionibus si et in quantum legibus et decretis dictorum Conciliorum derogaverint; *negative* ad secundam partem.

Et mandavit ut resolutio publici iuris fieret, eam in *Actis Apostolicae Sedis* inserendo.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 2 augusti 1918. *Dies (2 aug. 1918).*

C. Card. De Lai, Episc. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Assessor.

Annotationes

Cum decreta Concilii provincialis lex sint territorialis, in dioecesibus a provincia separatis per se vigere cessant. Attamen dum in nova provincia concilium habeatur, eorum observatio valde suadetur. Pro dioecesibus a provincia Westmonasteriensi avulsis dubium ex mandato speciali S. Pontificis est solutum, cuius auctoritate decreta illorum Conciliorum vim suam servabunt. Concilii novae Provinciae erit mutationes, si quae sint faciendae, imponere.

I. C., s. I.

---

64. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 8 AUG. 1918

De dilatione relationis dioecesanae pro Episcopis Americae

(A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 366)

Proximo anno 1919 R^mi Ordinarii dioecesium totius Americae, iuxta decretum *A remotissima* S. Congregationis Consistorialis et Codicis praescriptiones (can. 340), obligatione tenentur relationem conficiendi de suae ecclesiae statu simulque visitandi, servata norma can. 341, sacra Apostolorum Limina. *Visitatio ad limina cum relatione de statu dioecesis Americanis Episcopis ob pericula itineris ad a. 1920 differtur.*

Quamvis autem auspicandum sit ut immane bellum, quo universum humanum genus cruciatur, finem cito habiturum sit, cum tamen in ancipiti res sit et interim romanum iter ex America difficile sit et periculis plenum, idcirco SS^mus D. N. Benedictus Pp. XV, hoc S. Congregationis Consistorialis decreto, benigne indulget, ut memoratae obligationis adimplementum Episcopi omnes differant ad futurum subsequentem annum 1920.

Quod si anno 1920 eadem infeliciter perseverabunt adiuncta, quod tamen Deus in sua magna misericordia avertat, tunc iidem R^mi Episcopi pro currenti secundo quinquennio dispensati manebunt a visitatione ss. Liminum, firma tamen obligatione conficiendi relationem de statu dioecesis, eamque ad S. Congregationem Consistorialem, meliore quo poterunt modo, quam primum transmittendi. *Si a. 1920 adiuncta eadem manserint, cadet obligatio visitationis, non autem relationis.*

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Dies (8 aug. 1918). Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 8 augusti 1918.

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Assessor.

Annotationes

Decreto *A remotissima*, d. 31 dec. 1909 [1] nova disciplina instaurata est de visitatione SS. Liminum et relatione de statu dioecesis facienda. Quae de tempore visitationis et relationis statuebantur in c. 340 servata sunt. Formulae autem relationis nova suffecta est, cuius brevem conspectum infra sub n. 66 referemus. I. C., s. I.

---

65. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 25 OCT. 1918

De clericis e militia redeuntibus

(A. A. S. 5 dec. 1918, 10, 481)

Ordinariis sollicita de clericis e bello redeuntibus cura commendatur.

Redeuntibus e militari servitio clericis, oportet ut Ordinarii omnes maximo cum studio nitantur eos omnes a mundano pulvere detergere, quo inter armorum strepitus et cotidiana pericula pronum est etiam religiosa corda sordescere, eosque ab irregularitatibus et ab impedimentis quae dimicando contraxerint liberare. Hoc sane exigit ipsorum clericorum bonum, fidelium animarum salus et Ecclesiae utilitas.

S. P. dolens violatam cum tot tantisque damnis immunitatem clericorum,

Itaque Beatissimus Pater Benedictus Pp. XV, dum cum Episcopis universis impense dolet grave vulnus ecclesiasticae disciplinae illatum clericos adigendo ad militare stipendium faciendum, quod, praeter reliqua, tot paroeclas spiritualibus subsidiis et Seminaria suis alumnis magno cum christianae plebis detrimento privavit ; in praesenti cum pax diu desiderata in eo iam sit ut lucescere videatur, ad sanctum finem assequendum renovandi in sacerdotibus a militia reversis ecclesiasticum spiritum et diluendi noxas quas forte contraxerint, auditis haud paucis Archiepiscopis nationum omnium quae inter se praesenti bello dimicarunt, de consulto peculiaris coetus Emorum Cardinalium, haec quae sequuntur, statuit ac decrevit :

ut eorum spiritus renovetur sequentia edicit.

Caput I

De irregularitatibus

1. Conceduntur facultates dispensandi ab

1. Omnibus Ordinariis locorum et religiosorum facultas conceditur dispensandi ab irregularitate ex defectu corporis cum suis sacerdotibus e militari servitio revertentibus, quotiens ex testimonio scripto magistri

---

[1] Cf. *A. A. S.* II (1909), p. 13, ss. *Period.* V, n. 382, p. 102.

caerimoniarum, qui sacerdotem examini subiecerit, plane co stiterit ipse posse sine alieno auxilio servare cum decore omnes ritus necessarios in Missae celebratione praescriptos; onerata super hoc ipsorum Ordinariorum conscientia.

irregularitate ex defectu corporis

In casibus vero gravioribus vel dubiis, et quotiens agatur de non promotis ad sacerdotium, recurrendum erit ad S. Sedem.

2. Pariter omnibus Ordinariis facultas conceditur dispensandi, saltem ad cautelam, ex irregularitate, quae a canonistis olim dicebatur *ex defectu lenitatis*, quotiens sacerdotes, clerici et seminariorum seu religionum alumni in eam incurrerint non ex facto proprio sed ex necessitate, coacti nempe ad arma capessenda et mortem vel mutilationem forte inferendam. Quotiens vero agatur de clericis in sacris qui, non legum necessitate coacti, sponte sua se obtulerunt ad arma suscipienda, aut ea susceperunt, pro dispensatione ad S. Sedem erit recurrendum, firmo tamen praescripto can. 188, n. 6°.

2. et ex defectu lenitatis.

Quandonam ad S. S. recurrendum.

Quapropter Ordinarii, praevio examine in singulis casibus, decernant cum revertentibus e militia quos ab irregularitate absolvere possint, quos ad S. Sedem remitterè debeant.

Ipsi autem sacerdotes qui e militia revertuntur et sciunt se irretitos esse irregularitate S. Sedi reservata, ne audeant sacris ministrare ante obtentam dispensationem.

Caput II

De dandis et assumendis informationibus

3. Singuli locorum Ordinarii de clericis et Seminariorum alumnis alterius iurisdictionis, qui in sua dioecesi militare servitium obeuntes per notabile tempus commorati sunt, vel adhuc commorentur, notitias, quantum fieri potest plenas, propriis illorum Ordinariis quam cito praebere accuratissime satagant: idque gravissimum conscientiae officium esse reputent, quo neglecto, haud modica christianae rei oriri poterunt detrimenta.

3. Informationes assumantur praesertim apud ordinarios in quorum dioecesibus clerici diutius sunt commorati.

Notitias autem, quas Ordinarii de suis clericis et alumnis receperint, complere studeant per informationes ab aliis fontibus ac personis, ad rem quam diligentissime assumptis, ac demum per examen etiam personale de quo infra.

Caput III

De sacerdotibus saecularibus et regularibus

4. Sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, redeuntes e militia, intra decem dies a reditu tenentur se sistere coram Ordinario suo eique exhibere litteras Ordinarii Castrensis vel saltem militaris cappellani sui, aliaque documenta quae testimonium reddant de eorum vita et moribus; quae omnia proinde secum afferre curabunt. Ordinario autem eos percontanti de iis quae pertinent ad externam seu publicam vitae rationem quam in militia duxerunt, de operibus ibi actis, de locis ubi commorati sint, respondere ex conscientia secundum veritatem iubentur.

4. Sacerdotes omnes intra 10 dies a reditu Ordinario suo se sistere debent,

Qui intra tempus superius praefixum Ordinarium suum non adibunt, suspensi manent ipso facto a divinis: a qua censura non relevabuntur, nisi cum quae supra mandata sunt impleverint.

sub poena suspensionis l. s.

5. Omnibus quantocius exercitia spiritualia peragenda

5. Omnes sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, intra tempus ab Ordinario suo designandum (quod si ex iusta et necessaria causa nimium prot ahere non licebit), secedere debebunt in aliquam piam domum ab Ordinario designatam ad spiritualia exercitia peragenda, iuxta ipsius Ordinarii praescriptiones.

sub poena suspensionis l. s.

Qui huic praecepto non satisfecerint, manebunt pariter ipso facto suspensi a divinis, a qua censura non liberabuntur, nisi cum exercitiorum domum ingredientur.

6. Quo fructuosius ea exercitia peragantur, designandi praedicatores qui ea in piis domibus tradant,

6. Cum spiritualia exercitia, ut fructuose fiant, peragi debeant in aliqua pia domo a mundanis rumoribus remota, in silentio, sub ductu prudentis ac pii directoris et cum subsidio praedicatorum et confessariorum, qui cum doctrina et prudentia vitae sanctitatem coniungant, necesse est ut Ordinarii multo cum studio haec omnia comparent.

Sed cum vix possibile sit ut singulae dioeceses et religionum provinciae domum pro spiritualibus exercitiis plene instructam habeant; Episcopi curent cum aliis eiusdem provinciae aut regionis Praesulibus convenire ad communem aliquam domum designandam et instruendam. Idem ut Ordinarii religiosorum peragant praecipitur.

7. saltem per spatium 8 dierum.

7. Cum sacerdotum reversorum a militia non eadem sit condicio, neque par necessitas abluendi conscientiam et renovandi ecclesiasticum spiritum, Ordinariorum prudentiae relinquitur breviorem vel longiorem spiritualium exercitiorum cursum pro singulis statuere; ita tamen ut nemo minus quam octo integros dies spiritualis recessus impleat.

8. Ordinarii erit videre utrum et quando sacerdotes in pristinum locum sint restituendi.

8. Ob eandem causam in singulis casibus Ordinarii definient, utrum, post spiritualia exercitia peracta, sacerdotes ad pristina officia sive curae animarum, sive magisterii aut regiminis in Seminariis aut similia sint statim restituendi, vel secus.

Ad hunc finem tribuitur facultas Episcopis removendi ad tempus ab animarum cura, ab officio confessarii, a regimine et magisterio alumnorum in Seminario, qui durante militia non bene se gesserint, sive iidem suspensi fuerint a divinis, sive non; eosque adigere poterunt ad vivendum ad tempus vel in aliqua religiosa domo, vel sub ductu pii et prudentis sacerdotis cum obligatione pia aliqua exercitia ex praescripto faciendi.

Eadem Ordinarii religiosorum pro suis providebunt.

Idem in paribus casibus statuant Ordinarii religiosorum pro suis subditis, quos etiam voce activa et passiva ad tempus privare poterunt et ad vivendum in aliquo strictioris observantiae conventu astringere. Superioribus autem generalibus facultas insuper tribuitur removendi superiores provinciales et locales, quotiens ex eorum agendi ratione in militia id necessarium esse ducant.

Caveant tamen Ordinarii, quantum fieri potest, ne sacerdotes sive saeculares sive regulares sedem figant in locis ubi, militare servitium obeuntes, diu commorati sint.

9. Ordinariis dioecesanis facultates speciales conceduntur ad quinquennium de unione paroeciarum et translatione parochorum.

In casibus vero dubiis vel gravioribus, Ordinarii ad S. Sedem recurrant.

9. Denique, attentis peculiaribus nostri temporis conditionibus, conceditur Ordinariis dioecesanis facultas ad quinquennium valitura, qua, exigente animarum necessitate, si desint sacerdotes uni cuique paroeciae proprii, committere possint uni eidemque sacerdoti curam duarum vel etiam trium paroeciarum, et transferre parochos a paroecia sua ad aliam magis centralem ex qua facilius succurrere possint fidelibus ipsorum curae commissis.

Caput IV

De alumnis Seminariorum

10. Omnes Seminariorum alumni, qui post militare servitium ad pium locum redire volent :

10. Quibusnam condicionibus seminariorum alumni in pium locum redituri sint.

a) Ordinario suo se sistent, eodem modo ac de sacerdotibus superius est dictum.

b) Ordinarius circa examen et notitias assumendas eadem ratione se geret ac cum sacerdotibus.

c) Si ex hoc examine aliisque argumentis et documentis constiterit aliquem haud bene se gessisse in militia, Episcopus, habito cum deputatis super disciplina et cum rectore Seminarii consilio, eum a regressu in Seminarium repellat.

d) Si aliter constiterit, Episcopus, habito cum iisdem deputatis et rectore Seminarii consilio, petitionem admittat ; sed sub modo et condicionibus quae in sequentibus indicantur.

e) In primis alumnum iubeat spiritualia exercitia peragere et quoad locum, tempus et modum spiritualis recessus Episcopus statuat ac decernat quod magis in Domino expedire in singulis casibus censeat, servatis, quantum fieri poterit, iisdem regulis ac cum sacerdotibus.

f) Post spiritualia exercitia, videat pariter, pro sua prudentia et cum consilio ut supra, utrum expediat alumnum a militia reversum cum ceteris statim admittere, an per aliquod tempus seorsum sub speciali vigilantia eum cum aliis a militia reversis detinere.

11. Alumni in Seminarium reversi studia prosequentur inde ad amussim incipiendo ubi ea abruperunt, et integrum cursum perficiant.

11. Studia resumant et absolvant.

12. Quoad ordinationem, Episcopi, memores plus quam alias apostolici illius praecepti (*ad Tim.*, I, cap. V) : « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis », caveant a promovendis suis alumnis, praesertim ad maiores Ordines, antequam per aliquot menses eos rite comprobaverint, onerata super hoc gravissime eorum conscientia.

12. Episcopis commendatur prudentia in promovendis ad Ordines clericis.

Caput V

De noviciis clericisque religiosis

13. Quoad novicios et clericos diversarum religionum, qui post militare servitium ad religionem suam revertuntur, eaedem cum proportione serventur regulae ac de Seminariorum alumnis praescriptae sunt.

13. Novicii et clerici religiosis eadem, quantum fieri potest, applicentur.

14. Transitus religiosorum, post militare servitium, ad clerum saecularem eorumque admissio in Seminarium prohibita manent iuxta communis iuris praescriptum.

14. De transitu ad clerum saecularem.

Caput VI

De laicis aut conversis variarum religionum

15. Qui fratres conversi vel laici in variis religionibus nuncupantur et post militare servitium ad conventum redeunt, consueto ut supra examini Superiores subiciant ; et si bene in militia eos se gessisse constet, praeviis spiritualibus exercitiis, cum cautelis et regulis in superioribus articulis nuntiatis, eos denuo in communitatem admittant.

15. Fratres conversi vel laici eodem modo examinandi, probandi et recipiend

vel dimittendi, votis simplicibus statim soluti,

vel post recursum ad S. S. si professi sint sollemniter.

Si vero constet eos se male gessisse et votis sollemnibus ligati non fuerint, dimittant et hoc ipso a votis omnibus, etiam castitatis perpetuae, absoluti erunt.

Quod si votis sollemnibus obstricti fuerint, Superiores casum deferant ad S. Congregationem de Religiosis, et interim eos iubeant penes consanguineos suos, vel in monasterio, sed seorsum, vivere.

Caput VII

De clericis in sacris, saecularibus vel regularibus, qui in graviora crimina prolapsi fuerint

16. Eos qui deliquerint Ordinarii paterne accipiant sed serio emendent.

16. Cum clericis in sacris, qui forte in aliquod ex maioribus delictis, durante militari servitio, misere lapsi forent, cum redeunt, Ordinarii paterne quidem se gerant, sed ad eorum emendationem et salutem et in publicum Ecclesiae bonum, non omittent in singulis casibus iuxta criminum naturam procedere, prout in lib. V Codicis praescribitur, praesertim si infamiam iuris vel facti incurrerint.

Apostatas, si qui sint, requirant cum amore eorumque scandala reparari curent.

Cum iis vero qui per lugendum nefas a suis votis vel etiam a religione apostatae ad saecularem statum transierint, iidem Ordinarii boni pastoris officium, quantum in ipsis est, agere non omittant, errantes oves opportune quaerendo. Curent insuper pro viribus ut, saltem in aliorum fidelium scandalum et perniciem, eorum prava exempla ne cedant.

De eorum numero et statu ad S.S. relatio facienda.

Meminerint praeterea officii sui esse in relatione de dioecesis vel religionis statu apcite innuere an et quot apostatae deplorari apud ipsos debuerint.

* * *

Huius decreti momentum.

Haec omnia Sanctitas Sua districte ab omnibus Ordinariis servari mandat, nec plane dubitat, attenta singulari rei gravitate, quominus omnes et singuli peculiarissimum impensuri sint studium, ut quae praescribuntur plene et ad unguem impleantur.

Dies (25 oct. 1918).

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 25 Octobris 1918.

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
V. Sardi, Archiep. Caesarien., Assessor.

Annotationes

1. *De Introductione.* — Primis decreti verbis eius finis indicatur, qui is est, ut moraliter et canonice integri suis ministeriis et vocationi restituantur clerici qui iniqua lege in bello dimicare coacti sunt.

Iniqua, inquam lege ; namque, in ipsa praefatione, S. Pontifex dolet « grave vulnus ecclesiasticae disciplinae illatum, clericos adigendo ad militare stipendium faciendum ». Ac sane lugendum est, fuisse inter belligerantes, populos quos praeiudicia omnimodae sed apparentis aequalitatis adeo occupavit, ut, posthabita utilissima opera etiam tunc temporis animis praestanda, et contempta sublimi missione continuandi pacificum Agnum Dei, ne sacerdotibus quidem

catholicis permitterent eam a cruento certamine libertatem, quam gentes acatholicae ministris sectarum suarum negandam non esse senserunt. Utinam saltem ipsi clerici a plurimis falsi nationalismi deceptionibus immunes se servarent, ut patriae et generi humano secundum missionem suam se plene devoverent !

Redeuntes autem, ut 21 dec. 1918 authentice declaratum est, non ii tantum sunt qui stricte ab exercitu dimissi sunt, verum ii quoque qui indefinitam licentiam abeundi obtinuerunt *(con licenza illimitata)* (A. A. S. t. XI, 1919, p. 6).

II. *Ordo decreti.* — Post duo capita generaliora de irregularitatibus et informationibus, quinque sequentia decreti capita ordine agunt de sacerdotibus utriusque cleri, de alumnis seminariorum, de noviciis clericisque religiosis, de laicis aut conversis variarum religionum, de clericis in sacris, saecularibus vel regularibus, graviorum criminum reis.

III. *De capite I, seu de irregularitatibus.* — Duplex irregularitas attingitur : defectus corporis, defectus lenitatis : illa vigens, haec, hodie, suppressa.

De priore irregularitate, *sacerdotes* ab aliis distinguendi sunt. Ordinarii locorum et religiosi suos sacerdotes dispensare possunt qui, quamvis mutilati vel aliter corpore deformes, sine alieno auxilio, cum decore ritus necessarios praescriptos adimplere possunt. Testimonium scriptum exigitur magistri caerimoniarum, idest personae idoneae cui, ad hunc effectum, Ordinarius hanc qualitatem conferat, si alius habitualis desideratur. Si vero caerimoniae saltem alicuius momenti praetermittendae fuerint, ut si sacerdos redux e militia sedens tantum missam dicere queat vel opera assistentis indigeat, S. Sedes adeunda erit, sicut etiam si de graviore deformitate agatur, vel casus dubius fuerit. — Pro *non sacerdotibus*, S. Sedes adeunda est, ut promoveri possint.

De altera irregularitate, facultas datur dispensandi ad cautelam ab irregularitate quae olim dicebatur *defectus lenitatis*. Dispensatio ista per se non videtur necessaria. Namque irregularitas ista non iam memoratur ; eiusque applicatio expresse c. 984,6° limitatur ad iudicem qui sententiam mortis tulerit et ad eum qui munus carnificis susceperit eiusque voluntarios et immediatos ministros. Ante Codicem quidem, S. Paenitentiaria, interrogata utrum necne irregularitas incurreretur a clerico quem gallica lex ad pugnam coegit, 12 mart. 1912, respondit consulendos esse probatos auctores (Per. VI, n. 182, p. 227). Et simul, per bellum, irregularitatem quasi suspendit (Cf. Ferreres, *Comp. theol. mor.* II, 896).

Sed nunc, qui coacti in bello probabiliter iusto dimicant,

neque ex defectu lenitatis, neque ex delicto (cum nullum sit commissum) irregulares esse possunt. (Cf. CERATO, *Censurae vigentes*, etc. n. 160. 161, qui etiam observat hodie iam irregularem non haberi constitutum in sacris, in dubia causa homicidii.) Facultas tamen data non erit inutilis, si forte extensiva quadam interpretatione, irregularitas ista restituatur. Ii utique clerici qui sponte sua se obtulerunt ad proelium active participandum, gravem status sui obligationem violarunt, et, prout certo vel probabiliter occiderint, certa vel probabili tantum irregularitate ex delicto sunt affecti. Verum ad hanc dispensandam nulla datur facultas per decretum *Redeuntibus*.

IV. *De c. II, seu de informationibus.* — Ordinarii locorum quam citissime plenas propriis Ordinariis notitias dare iubentur de clericis et seminariorum alumnis. *Clerici* sunt qui saltem per primam tonsuram inter clericos ascripti sunt, sive sint saeculares sive religiosi. Informationes istae sponte dandae sunt, nulla exspectata interrogatione, sed obligatio iis circumscribitur de quibus Ordinarii locorum aliquid definitum, sive in laudem sive in vituperium, communicandum habeant.

Proprii vero Ordinarii praeterea informationes istas aliis mediis complere debent, prout copia dabitur.

V. *De capite III, seu de sacerdotibus utriusque cleri.* — 1. Sacerdotes intra decem dies a reditu a militia debent se coram suo Ordinario sistere et scripta documenta afferre de sua vita militari, praecipue testimonium Ordinarii castrensis vel saltem militaris capellani sui. Interrogati de externa sua conversatione in militia, secundum veritatem respondere iubentur. Occultum delictum revelare non debent. Suspensio a divinis eos ipso facto plectit qui Ordinarium suum non adiverint. Defectus tamen testimoniorum nulla poena latae sententiae plectitur.

2. Praecipitur secessio spiritualis secundum praescriptionem Ordinarii, quod ad tempus, modum et locum. Qui non oboediverint vocanti Ordinario ad haec exercitia, eadem censura plectuntur. Utraque censura absolutione tollenda est. Sed haec non est impertienda nisi postquam, in priore casu, se Ordinario suo praesentaverint ; in altero vero, postquam assignatam exercitiorum domum intraverint.

3. Ut de sacerdotibus reducibus magis libere disponere possint, facultas fit episcopis « removendi ad tempus ab animarum cura, ab officio confessarii, a regimine et magisterio alumnorum in seminario, qui, durante militia, non bene se gesserint, sive iidem suspensi fuerint a divinis, sive non ; eosque adigere poterunt ad vivendum ad tempus vel in aliqua religiosa domo, vel sub duc'u pii et prudentis

sacerdotis, cum obligatione pia aliqua exercitia ex praescripto faciendi. » Similiter Ordinariis religiosorum facultas conceditur suos privandi ad tempus voce activa et passiva, eosdemque adigendi ad vivendum in aliquo strictioris observantiae conventu. Immo Superiores generales possunt removere Superiores provinciales et locales, quotiens ex horum agendi ratione in militia id necessarium esse ducant.

Cavendum autem esse dicitur ne sacerdotes saeculares vel regulares sedem figant in locis ubi per servitium militare diu commorati sint.

In casibus autem dubiis vel gravioribus, S. Sedes adeunda dicitur.

4. Ut bono animarum consulere possint, Ordinariis dioecesanis facultas fit, ad quinquennium valitura, qua, exigente animarum necessitate, curam duarum vel etiam trium paroeciarum uni eidemque sacerdoti committere possint, et parochos transferre a paroecia sua ad aliam magis centralem ex qua facilius succurrere possint fidelibus eorum curae commissis.

Itaque ampla hic potestas Ordinariis locorum conceditur, qua non parum ipsi stabilitati parochorum, qualis c. 454 sancitur, fit derogatio. Potestas ipsa quinque annis terminatur, ita ut 5 martii 1923 finem habitura sit. Cum enim lex ista in fasciculo 5 dec. 1918 inserta sit, attenta trium mensium vacatione, utilis potestas a 5 martii 1919 initium sumpsit. Verum actus irrevocabiles istius potestatis elapsa quoque ista potestate permanebunt. Potestas demum ista, cum legi communi et libertati parochorum subtrahat, odiosa est et stricte interpretanda.

VI. *De c. IV, seu de alumnis seminariorum.* — Quae de examine, informationibus, obligatione se sistendi coram Ordinario eique sincere respondendi statuta sunt circa sacerdotes, traducuntur quoque ad alumnos seminariorum.

Qui male se gesserint potius repellendi dicuntur. Deliberatio tamen facienda dicitur ab episcopo cum deputatis disciplinae et rectore seminarii, ita ut de gravitate casus pronuntiare possit. Alumni qui bene se gesserint, admittantur; sed facere debent exercitia spiritualia in loco et per tempus praescriptum a suo Ordinario, qui videbit quoque utrum reduces isti aliis miscendi sint, an per aliquod tempus separatim instituendi.

Monentur praeterea Ordinarii de prudentia adhibenda in ordinandis istis alumnis, praesertim si de sacris ordinibus agitur.

Decreto autem 15 ian. 1919, S. C. Propagandae Fidei ad instituta, seminaria et collegia missionum suae iurisdictionis dispositiones decreti *Redeuntibus* traduxit, ita tamen ut mis-

sionarii et alumni non Ordinario sed proprio Superiori intra decem dies se sistere debeant, etiam si excardinati non fuerint.

VII. *De cap. V, seu de noviciis et clericis diversarum religionum.* — Eadem servanda dicuntur atque ea quae seminariorum alumnis praescripta sunt.

Transitus ad clerum saecularem et admissio in seminarium manent prohibita iuxta communis iuris praescripta. — Observandum tamen est, si religiosi rite dimissi fuerint, transitum iam non prohiberi ; sed, ex c. 1363, § 3, non sunt admittendi ab episcopis nisi post accuratam informationem apud Superiores.

VIII. *De c. VI, seu de laicis aut conversis variarum religionum.* — Hi examini subiciendi sunt. Qui bene se gesserint, post praevia exercitia spiritualia et alias cautelas, in communitatem admittantur. Si male se gesserint, qui votis sollemnibus ligati non fuerint, dimittantur ; atque ipsa dimissione vota omnia solvuntur. Si vota sollemnia habuerint, ad S. Congregationem de religiosis recurrendum est.

Laici de quibus hic agitur ii sunt qui in religionibus clericalibus alteram classem efficiunt, ita ut, si solum textum inspicias, nihil statutum deprehendas de institutis laicis virorum. Verum manifesta mens legislatoris eos quoque comprehensos voluit, ita ut, secundum istam mentem, Superiores similes cautelas sumendas habeant.

IX. *De c. VII, seu de reis graviorum delictorum.* Decretum postulat applicationem libri quinti Codicis de delictis et poenis. Superioribus simul paternam et firmam agendi rationem inculcat.

De ipsis apostatis cura adhibenda est ut resipiscant. Si qui fuerint et quot fuerint, id in relatione dioecesana vel religionis ad competentem Congregationem referendum est.

X. *De conclusione.* — S. S. haec omnia accurate servanda mandat Ordinariis.

Ordinarii autem non sunt, praeter Ordinarios locorum, nisi Superiores maiores religionis clericalis exemptae. Unde a duabus Congregationibus SS. Cordis et Missionariorum de la Salette, dubium propositum est utrum necne eorum Superiores Generales inter Ordinarios numerarentur.

Et 20 ian. 1919, responsum est, ad effectum istius decreti, nomine Ordinariorum ambos Superiores generales venire (A. A. S. t. XI, p. 43). Verum ex particulari illa concessione interpretatio generalis colligi nequit, praesertim cum, si semel latiore et impropria significatione vox Ordinarii sumatur, non appareat cur ad solum Generalem et non etiam ad Provincialem vox aptetur. Ordinarii enim sunt, ex Codice, non soli Generales, verum etiam Provinciales et qui aequi-

valentem iurisdictionem habent in religionibus clericalibus exemptis.

Sic ergo dicendum arbitramur : Religiones non exemptae alium Ordinarium non habent praeter Ordinarium loci. Earum clerici, ex c. 964,4°, ordinantur iure saecularium, et sunt de clero saeculari. Rursus tamen, n. 8 Decreti, conceditur Ordinariis religiosorum facultas privandi voce activa et passiva, transferendi subditos in conventum strictioris observantiae : haec internam potestatem supponunt quae locorum Ordinariis non competit. Vehemens ergo suspicio est, mentem S. Congregationis fuisse usurpandi vocem Ordinarii improprio usu. Sed quia id non adeo certum est, censemus dubium istud esse S. Sedi proponendum, praesertim cum, eodem n. 8, Ordinarii iubeantur in casibus dubiis vel gravioribus ad S. Sedem recurrere.

Id denique subiungendum est, S. Congregationem Consistorialem, decreto 28 mart. 1919, declaravisse, secundum mentem decreti *Redeuntibus*, dispensatione a S. Sede indigere clericos in sacris, militum vulneratorum vel infirmorum assistentiae addictos, qui ex huius modi ministerio sponte sua maluerunt transire ad militiam pugnantem, etiam si mortem vel mutilationem non intulerint. (A. A. S., 1919, XI, p. 177.)

---

66. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETA SUMMATIM RELATA

A. *Mutationes in dioecesium finibus, titulo,* etc. *decreto S. C. Consist. peractae.*

Mutatio dioecesium. Montreal (Canada).

Postulantibus archiepiscopo *Marianopolitano* et episcopo S. Hyacinthi pars duarum paroeciarum S. Matthaei, vulgo de Belœil, et S. Marci a paroeciis istis et a dioecesi S. Hyacinthi distrahitur ad novam paroeciam efficiendam quae Marianopolitanae archidioecesi aggregatur, decr. 8 apr. 1918. (A. A. S. 1 maii 1918, 10, 192).

B. *Praescribitur nova formula de relationibus dioecesanis.*

Formula de relationibus dioecesanis.

Formulae in decr. *A remotissima,* d. 31 dec. 1909 (A. A. S. II, 1909, p. 13, s. — *Period.* V, p. 102, ss.) datae nova sufficitur quae cum Codicis praescriptis melius concordet. Adhibenda erit ab a. 1921. — Tribus monitis praemissis, constat XII capitibus, et articulis 1-100 absolvitur. Data est d. 4 nov. 1918 (A. A. S. 5 dec. 1918, 10, pp. 487-503). — Pro scopo nostri periodici, haec pauca exscribimus.

CAPUT X

De religiosis

77. An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513 : et quae notabiliora annotanda habeat.

78. Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure;

Quae sit in utroque casu eorum fama;

Quaenam pro dioecesi utilitas;

An catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334;

Quo habitu incedant.

79. Si quaestuantes adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicas praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconveniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum.

80. Si congregatio aliqua dioecesani iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.

81. Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.

82. Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui *exclaustrati*, *saecularizati* aut *dimissi* a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.

83. *De religiosis mulieribus* in specie Ordinarius referat:

a) An observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann 512, 513, 520-527, 533-537, 547, 549, 550, 552, 600-605;

b) Si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;

c) Quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;

d) Si sint quae infirmis in privatis domibus assistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis observantur, et an aliquid habeatur deplorandum.

Nova capitula et dignitates.

C. *Erectio aut restitutio capitulorum et dignitatum in capitulis* ad S. C. Consist. pertinet, cuius decreto S. Pontifex precibus de hac re annuit.

Dromore (Hibernia).

1. In ecclesia cathedr. *Dromorensi*, postulante episcopo, capitulum decr. 25 apr. 1918 erigitur seu restituitur. Novem canonicis constabit, quorum duo dignitatibus Decani et Archidiaconi gaudebunt S. Sedi reservatis, excepta prima vice. In constitutione servanda dicuntur simul praescripta Codicis et Conc. Tridentini. Decretum pariter valere dicitur ac si litterae sub plumbo missae essent. (A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 235).

Mondovi.

2. Capitulum cathedr. ecclesiae metropol. *Montis-Regalis* in Sicilia, quod ad unum canonicum infaustis temporum adiunctis erat redactum, decr. 3 sept. 1918 restituitur. Deficiente congregatione Sicula O. S. B., cuius sacerdotes ius ad praebendas habent, hae sacerdotibus saecularibus conferentur. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 414).

Dijon.

3. In capitulo cathedr. ecclesiae *Divionen.* erigitur dignitas *decanatus*, quae, postulante episcopo, ipsius Vicario Gen. R. D. Geoffroy confertur,

firma in posterum reservatione. Decr. d. 2 aug. 1918. (A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 364). *Langres.*

4. Postulante episcopo *Lingonensi* in capitulo eius eccl. cathedralis erecta est dignitas decanatus, cum omnibus iuribus consuetis. Eius collatio semper reservatur. Decr. 14 sept 1918 perinde valere dicitur ac si litterae sub plumbo essent missae. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 416).

D. *Institutio Ordinariorum personalium.*

1. Decr. 30 apr. 1918, clericis qui qualibet de causa in Francorum classi versantur, S. C. Consist. providit, cum potestate ordinaria, Inspectorem, R. D. Felic. Guillibert, episc. Foroiuliensem et Tolonensem. (A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 238). *Inspector clericorum in classi gallica.*

2. Quo melius curae spirituali clericorum et laicorum qui invadentibus hostibus locum in Italia cesserunt neve clerici omnem subiectionem evadant, Ordinarius eorum omnium proprius constituitur, R. D. Carlo Pietro Pao'i, Arch. tit. Chalciden. — Ordinariis locorum sua tamen integra iura manent in omnes illos peregrinos aut vagos. Decr. 3 sept. 1918. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 415). *Ordinarius « profugorum » in Italia.*

E. *Privilegia capitulo conceduntur.*

In testimonium benevolentiae ob singularia obsequium et diligentiam capituli cathedr. *Biellensis* (Bugellen.), canonici « etiam titulo canonicorum Basilicae B. M. V. de Oropa amodo condecorantur. » In cathedrali sua et in Basilica collegialiter procedentes poterunt aureum numisma, effigiem referens sacrae Iconis e collo pendens gestare. Decr. 12 iun. 1918. (A. A. S. 1 iul. 1918, 10, 283). *Privilegia capitulo in Biella (Italia).*

F. *Notificatio.*

Monentur Ordinarii ut a quodam sic dicto Alberto *Biondi* caveant, qui se sacerdotem e dioec. Boianensi in Italia aut religiosum O. S. B. falso dictitet. (A. A. S. 1 iul. 1918, 10, 284). *Denuntiatur falsus sacerdos.*

I. C., s. I.

---

67. — S. CONGR. CONCILII

ACTA SUMMATIM RELATA

A. Die 14 iul. 1917, in causa *Quebecen. Onerum choralium seu praebendarum*, S. C. C. censuit, per proventus 300 doll. quos Emin. Archiepiscopus canonicis metropolitanae ecclesiae assignaverat, sufficientem praebendam haberi ut canonici ad partiale servitium chorale adigerentur. I. e. dedit Em. Card. Archiepiscopo facultatem « reducendi servitium chorale tantum ad dies dominicos et festos de praecepto, vel alios sollemnes, ab eodem determinandos ». Etenim in restitutione capituli, Pius X, 10 iun. 1914, « quousque erecti canonicatus congrua praebenda aucti non fuerint, quod quam citius futurum confidimus ac peroptamus » capitulares a residentia in urbe et a servitio chorali *interim* exemerat, facta tamen facultate convocandi canonicos semel saltem in mense. Ems autem archiepiscopus, usus rescripto S. C. P. F. 27 feb. 1889, tribu- *Valida constitutio praebendae.*

tum quodpiam imposuerat in reditus ecclesiarum, atque inde singulis canonicatibus reditum annuum 300 dollar. constituerat.

In causae propositione utilia leguntur de bonis quae rationem praebendae habere possunt. (A. A. S. 1 maii 1918, 10, 194-200).

Vis consuetudinis immemorabilis ad imponendam praestationem erga episcopum.

B. Die 21 april. 1917, in causa *Melevitana*, praestationis, cum, facta separatione paroeciae S. Pauli extra moenia ab eccla cathedrali, archipresbyter nollet iam episcopo, tradere *vitulum* quem, *ab immemorabili*, occasione visitationis tradere debebat, S. C. C. respondit, ex hactenus deductis de eius exemptione non satis constare. Archipresbyter contendebat vitulum illum praestari non potuisse nisi pro *victualibus* quae debentur episcopo extra civitatem suam ecclesias visitanti. Verum alius titulus esse potuit, cum immemorabilis consuetudo fundet praesumptionem privilegii. — Tituli quibus episcopus praestationem exigere potest clare exhibentur p. 241. (A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 239-245).

Missa pro populo per turnum.

C. In causa *Consentina. missae pro populo* (12 iun. 1917 et 9 feb. 1918) S. C. C. censuit non sustinendam esse consuetudinem immemorialem, qua tres parochi ecclesiae paroecialis S. M. Gratiarum in oppido S. Giovanni in Fiore per turnum singulis dominicis unam missam pro populo celebrabant. Solutionis causa est quod tres parochi, etsi unam tantum ecclesiam habeant, tres paroecias certo regant. Fines enim distincti sunt ; sui cuique paroeciani sunt, quorum matrimonio unus tantum sine delegatione assistit parochus ; defuncto uno ex tribus, vacare dicitur in documentis paroecia. Ad constituendam autem iure paroeciam, propria ecclesia non stricte requiritur. (Cf. Resp. S. C. de P. F. ad episc. Quebecen. 26 feb. 1875. Coll. Prop F. n. 1436). Mira hic proponuntur de paroeciis quibus plures parochi praeficiuntur. (A. A. S. 1 iul. 1918, 10, 285-289).

Ius funerandi in parocho quasi-domicilii.

D. In causa *Melevitana*, *iuris funerandi*, S. C. C. d. 2 iun. 1917 censuit parocho quasi-domicilii. cum sit *proprius* parochus, ius esse funerandi suos in loco defunctos, etsi alibi domicilium habent. — Iuri autem parochorum non detrahitur per consuetudinem, nisi saltem quadragenaria sit. — Episcopi autem non admittitur petitio ut in eius dioecesi liceat semper parocho *loci* (sc. mortis) funera peragere ; sine vera enim utilitate detraheretur iuri certo et communi parochi proprii. (A. A. S. 1 aug. 1918 10, 326-331).

Stipendia « binationis » episcopo tradenda.

E. In causa *Paderbornen. super eleemosynis missarum*, d. 10 nov. 1917 S. C. C. censuit a sacerdotibus qui stipendium missae *binatae* et missae *pro populo* in festis suppressis recipere possint in favorem pii operis impendendum, tradendum esse totum stipendium « nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum ». Quae praxis est S. C. C. (A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 368-373).

Acceptae missae manuales sine reductione celebrandae.

F. In causa *N. missarum manualium*, d. 15 iun. 1918, S C. C. censuit ex cumulatis stipendiis 1,70-2 lib. quorum missae non poterant tempestive celebrari, quia sacerdotes pinguiora iam stipendia facile reciperent, non posse creari capellanias, ita ut quivis capellanus, reducto missarum numero, pinguius stipendium acciperet. Singuli enim donatores ad sacra pro sua definita intentione ius habent et causa gravior requiritur ut R. Pontifex ex thesauro Ecclesiae suppleat quam si de fundatis missis

ageretur. Futuro autem Ordinarius provideat elevando taxam dioecesanam. Etsi enim usu iam maior offeratur, sine eius decreto *exigi* nequit. (A. A. S. 5 dec. 1919, 10, 504 507).

---

68. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 26 IUN. 1918

De regulis et constitutionibus religiosorum ad normam canonis 489 codicis iuris canonici reformandis

(A. A. S. 1 iul. 1918, 10, 290)

Ne in corrigendis Constitutionibus religionum erretur

Ad normam Canonis 489 Codicis Iuris Canonici « Regulae et particulares Constitutiones singularum religionum, canonibus Codicis non « contrariae, vim suam servant; quae vero eisdem opponuntur, abrogatae sunt », ac proinde earum textus emendandus erit. Ne autem in re tanti momenti aliquod inconveniens oriatur, Sacra Congregatio Sodalium Religiosorum negotiis praeposita praescribit emendationes textus Regularum et Constitutionum suo esse subiiciendas examini. Hoc omnes et singulae iuris pontificii Religiones, itemque quaevis Societates sine votis publicis, sive virorum sive mulierum, in communi viventium, opportune peragent cum relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem transmittent iuxta praescriptum canonis 510. Quapropter interest ut omnes Religiones una cum praedicta relatione quaedam suarum Regularum Constitutionumve exemplaria ad Hanc Sacram Congregationem mittant.

textus emendatus examini S. C. subicietur eritque Romam mittendus ab omnibus religionibus iuris pontificii.

Sacra insuper Congregatio hortatur enixeque rogat Revmos Ordinarios locorum in quibus alicuius Religionis Moderatores supremi et Congregationum mulierum supremae Antistitae commorantur, ut quamprimum de his omnibus illos certiores faciant.

Curent Ordinarii locorum ut decreti cognitio ad subditos perveniat.

Romae, ex Secretaria S. Congregationis, die 26 iunii 1918.

Dies (26 iun. 1918).

I. Card. Tonti, *Praefectus.*
Adulphus, Ep. Canopitan., Secretarius.

Annotatio

Quisquis in interpretatione legum tempus posuit, difficultatem huius negotii expertus est. Ideoque praesertim Superioribus laicis consulendum erit ut textui constitutionum alium, etiam ex Codice desumptum, non sufficiant nisi de iurisperitorum consilio. Si qua relatio quinquennalis ad S. Sedem ante emendationem Constitutionum missa fuerit, videntur exemplaria emendata Constitutionum potius ante sequentem relationem mittenda, ne eorum revisio nimis protrahatur.

In emendandis Constitutionibus, Superiores iuvari possunt versionibus approbatis *(non authenticis)* Codicis I. II, partis II, Romae in Vaticana typographia editis [1]. I. C. s.i.

---

[1] De hoc argumento iam quaedam opera post Codicem edita sunt, v. g. Brandys, *Kirchl. Rechtbuch f. die religiösen Laiengenossenschaften.* — Creusen, s. i.,

69. — S. CONGR. DE PROP. FIDE

Notificatio circa missiones ad delegationes Apostolicas Constantinopolis, Aegypti, Mesopotamiae, Persiae et Syriae pertinentes

(A. A. S. 5 dec. 1918, 10, 508) [1]

In attesa delle disposizioni che la S. Sede darà a suo tempo in riguardo alle Missioni comprese nei territori delle Delegazioni Apostoliche di Costantinopoli, dell'Egitto, della Mesopotamia, della Persia e della Siria,

In relazione ai decreti e alle istruzioni precedenti date dalla S. Sede circa l'invio di Missionari e l'apertura di Missioni di rito latino nelle regioni dell'Oriente,

Al fine che le opere del sacro ministero tornino a fiorire in Oriente con la ordinata e zelante cooperazione dei Missionari latini e per provvedere al necessario e regolare riordinamento delle Missioni medesime ;

La S. C. di Propaganda Fide e la S. C. per la Chiesa orientale chiamano l'attenzione di tutti i Superiori degli Ordini e Istituti Religiosi latini, siano maschili, siano femminili, sulle seguenti disposizioni :

1. Non è permesso, fino a nuova disposizione, inviare nei confini delle Delegazioni Apostoliche sopraindicate alcun religioso o religiosa, per qualsiasi fine, senza l'esplicito permesso scritto della S. C. di Propaganda Fide o della S. C. per la Chiesa orientale, secondo la loro destinazione.

I permessi rilasciati prima della guerra ai Missionari non si intendono revocati. I rispettivi Superiori però son tenuti ad inviare alla S. Sede i nomi di tali Missionari che già si trovano nelle Missioni o che intendono ritornarvi.

2. I Delegati Apostolici e gli Ordinari sia latini che orientali non permetteranno nel territorio della propria rispettiva Delegazione e Ordinariato

---

Religieux et religieuses d'après la nouvelle législation canonique. Bruxelles, Dewit, 1918 (exstat quoque flandrice). — FÜHRICH, s. i., *De religiosis,* Oeniponte, Rauch, 1919. — VREULS, Chan., *Petit guide canonique à l'usage des communautes à vœux simples.* Liège, Dessain, 1918 (exstat quoque flandrice).

[1] Haec latine sic verti possunt :

Donec S. Sedes suo tempore instructiones non dederit circa missiones quae in territoriis Delegationum Apostolicarum urbis Constantinopolis, Aegypti, Mesopotamiae, Persiae et Syriae versantur,

Iuxta decreta et instructiones iam a S. Sede data circa mittendos Missionarios et erigendas Missiones ritus latini in regionibus Orientis,

Ut opera sacri ministerii in Oriente floreant cum bene ordinata et diligenti cooperatione Missionariorum latinorum et ut provideatur necessariae et regulari ordinationi earumdem Missionum ;

S. C. de Prop. Fide et S. C. pro Ecclesia Orientali omnes Superiores Ordinum et institutorum religiosorum latinorum, sive virorum sive mulierum, in sequentes normas attentos faciunt :

1. Non licet, donec aliter provisum sit, mittere in territorium supra dictarum Delegationum Apostolicarum ullum religiosum vel religiosam, ad quemlibet finem, sine explicita et scripta licentia S. C. de P. F. aut S. C. pro Ecclesia Orientali, pro varia missione.

Licentiae Missionariis ante bellum concessae non revocantur. Superiores debent ad S. Sedem mittere nomina illorum Missionariorum, qui iam in Missionibus versantur aut in illas redeundi propositum habent.

2. Delegati Apostolici et Ordinarii, sive latini sive orientales, non permittent in finibns suae Delegationis aut sui territorii celebrationem divini officii et exercitium

la celebrazione dei divini uffici e l'esercizio di qualsiasi ministero ai religiosi latini che non abbiano il permesso prescritto della S. Sede, nè senza tale permesso consentiranno ai medesimi religiosi ed alle religiose di esercitare qualsiasi altro ufficio, e parimenti non permetteranno che nella propria Delegazione e Ordinariato dai Religiosi Missionari e dalle Religiose Missionarie, senza l'autorizzazione scritta della S. Sede, si apra alcuna nuova Missione, Opera o Residenza.

Quelle Missioni, Opere e Residenze che già esistevano regolarmente prima della guerra non potranno riaprirsi senza il consenso del rispettivo Delegato Apostolico.

Roma, 15 novembre 1918.

G. M. Card. VAN ROSSUM, *Prefetto della S. C. de Prop. Fide.*
NICOLA Card. MARINI, *Segretario della S. C. per la Chiesa Orientali.*

---

70 — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM (SENEN.) 26 APR. 1918

De veneratione reliquiae S. Crucis et de benedictione cum SS°

(A. A. S. 1 iun. 1918; 10, 254)

Dubia.

Rmus Dnus Prosper Scaccia, Archiepiscopus Senensis, in relatione status suae Archidioeceseos sequentia dubia Sacrae Congregationi Consistoriali proposuit, ad Sacram Rituum Congregationem, pro opportuna solutione, transmissa; nimirum:

1. de veneratione reliquiae S. Crucis in festo Parasceves.

I. An, uti accidit in Metropolitana Ecclesia die Sancto Parasceves iuxta immemorabilem consuetudinem, liceat praebere Sacerdotibus et Fidelibus deosculandam reliquiam S. Crucis D. N. I. C.?

2. De orationibus in laudibus SS. Sacramenti.

II. An, ut ibidem fit, in solemni expositione Augustissimi Sacramenti, iuxta vetustissimum ordinarium liturgicum, post hymnum *Tantum ergo*, orationi Ssmi Sacramenti *Deus, qui nobis* adiici possint aliae collectae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re perpensa, respondendum censuit:

Responsa.

Ad I. *Nihil obstare.*

Ad II. *Negative*, iuxta Decretum n. 4194 ad X diei 23 novembris 1906.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 26 aprilis 1918.

Dies (26 apr. 1918).

A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

---

cuiuslibet ministerii sacri religiosis latinis qui non habeant licentiam praescriptam S. Sedis: nec sine tali licentia permittent eisdem religiosis ut ullum aliud officium adimpleant, neque sinent in propria Delegatione vel proprio territorio Religiosos missionarios vel religiosas missionibus addictas sine scripta facultate S. Sedis, erigere novam Missionem, instituere opus aut erigere domum.

Missiones, opera, domus quae ante bellum legitime exsistebant non poterunt restitui sine consensu respectivi Delegati Apostolici. I. C. I. S.

ANNOTATIONES

Ad 1. Decretum 2740, *Tridentina*, 12 mart. 1836, ad 4 prohibuerat ne feria VI in Parasceve in ipso loco ubi asservatur sanctissimum Sacramentum, post officium, publicae veneration exponerentur reliquiae s. Crucis. Perperam tamen inde concluderes in hac feria omnem prohiberi expositionem et venerationem sacrae huius reliquiae. Potest enim post adorationem crucis in ipso altari maiori exponi, dummodo inclusa sit cruci talis mensurae ut poni queat inter candelabra altaris maioris [1]; item permittitur ut extra missam et officium intra muros ecclesiae fiat processio, in qua, praecedente thuriferario, et adhibitis ministris sacris, sacra Ligni Crucis reliquia sub baldachino deferatur [2], in qua processione adhibentur pluviale et dalmaticae seu tunicellae coloris nigri, velum humerale et umbella seu baldachinum coloris violacei [3]. Nihil ergo obstat quominus haec sacra reliquia eadem die etiam praebeatur fidelibus deosculanda, uti praesens decretum declarat ; in hac autem functione, ex analogia cum functionibus de quibus supra, procul dubio adhibenda erit stola nigra.

Ad 2. Decretum 4194 ad 10 ad quod praesens responsio nos remittit, in functione benedictionis sanctissimi Sacramenti alias orationes, praeter illam de Sanctissimo permittit tantum antequam cantetur *Tantum ergo*, si tunc aliae dictae sint preces, nisi aliter apostolica auctoritate statutum fuerit. Immo, in priore sua redactione [4], illas orationes omnino prohibebat in festo et infra octavam Corporis Christi, haec ultima autem prohibitio in decreto qualis prostat in Vol. VI Collectionis authenticae fuit suppressa [5].

Ios. PAUWELS, S. I.

---

71. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM (HERBIPOLEN.) 14 IUN. 1918

De Missa votiva vel commemoratione pro sponsis

(A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 332)

Restrictio temporis clausi dubiis ansam praebet de missa vel collecta pro Sponsis

Hodiernus episcopus Herbipolen. Apostolicae Sedi sequentia dubia, pro opportuna declaratione, humillime exposuit nimirum,

Iuxta Canonem 1108 Codicis Iur. Can. Ordinarii locorum benedictionem nuptialem permittere possunt, ex iusta causa, etiam tempore Adventus usque ad Nativitatem Domini inclusive, et a Feria IV Cinerum usque ad

---

[1] Decr. 2887 FLORENTINA, 14 iun. 1845 ad 4. — [2] Decr. 3466 GORITIEN, 26 nov. 1878 ad 1. [3] Decr. 4197 CONGREGATIONIS ORATORII S. PHILIPPI NERII PERUSIAE, 16 ian. 1907 ad 2. — [4] PERIODICA n. 179, t. 3, p. (33) 217. — [5] PERIODICA n. 630, t. 7, p. 32.

Dominicam Paschatis inclusive, salvis legibus liturgicis. Hinc quaeritur :

1. in Nativ. Domini et domin. Resurrectionis

I. Si Ordinarii ex hac licentia, quae non limitata esse videtur, benedictionem nuptialem permittant in Nativitate Domini et Dominica Resurrectionis, licetne Orationi Missae de respectivo Festo addere commemorationem pro sponsis, quamquam haec Festa, sicuti alia Festa Epiphaniae, Pentecostes, Ssmae Trinitatis et Corporis Christi, ullam aliam orationem excludant ?

2. tempore clauso

II. Licetne tempore clauso Missam votivam pro sponsis celebrare ?

3. in vigiliis Pentec. et Epiphaniae.

III. In vigiliis, occurrentibus extra tempus clausum, privilegiatis, nempe Pentecostes et Epiphaniae, licetne legere Missam votivam pro sponsis ?

Responsa.

Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, et prae oculis habito Canone 1108 Codicis Iuris Canonici una cum Rubricis Missalis, quaestionibus sibi propositis ita respondendum censuit :

Ad I. *Affirmative*, sub unica conclusione.

Ad II. Si Ordinarius loci ex iusta causa permiserit etiam praedicto tempore clauso sollemnem benedictionem nuptiarum, Missa votiva pro sponsis celebrari poterit ; exceptis tamen Dominicis, Festis de praecepto etiam I et II classis, Octavis privilegiatis I et II ordinis, Feriis privilegiatis et vigilia Nativitatis Domini.

Ad III. *Negative* in utraque Vigilia.

Dies (14 iun. 1918).

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 14 iunii 1918.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Hucusque Missa pro sponsis cum benedictione nuptiali regebatur tum rubrica speciali huic missae praeposita, tum decreto generali 3922, 30 iun. 1896, VI :

« In celebratione nuptiarum, extra diem dominicam, vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrat duplex 1 vel 2 classis, dicenda est missa pro sponso et sponsa, in fine missalis post alias missas votivas specialiter assignata. In diebus vero dominicis, aliisque diebus festis de praecepto, necnon diebus duplicia excludentibus, dicenda est missa de die cum commemoratione missae pro sponso et sponsa, et quidem etiam in festis 1 classis sub altera conclusione, ac primo loco post ceteras commemorationes de praecepto, si quae faciendae.

Temporibus vero prohibitis, nuptiae quidem celebrari possunt de licentia episcopi, at sine sollemnitate, ideoque privatim ; et omissis missa et benedictione. Neque iisdem temporibus, commemoratio pro sponsis fieri potest in missa occurrente.

In novo autem iure, canone 1108 Ordinariis locorum potestas fit permittendi iusta de causa benedictionem, etiam tempore clauso, salvis tamen legibus liturgicis, et monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant. »

Quaestio igitur oriebatur quaenam essent illae leges liturgicae servandae, et in primis num adhuc vigeret illa prohibitio celebrandi tempore clauso missam pro sponsis.

Novum ergo ius liturgicum circa hanc missam perhibet praesens decretum :

1° Etiam tempore clauso, quibusdam tantum diebus exceptis, licet celebrare missam pro sponsis.

2° Dies in quibus haec missa prohibetur sunt dominicae omnes et festa de praecepto, necnon festa omnia 1 et 2 classis [1], octavae privilegiatae 1 et 2 ordinis h. e. Paschae et Pentecostes, Epiphaniae et Corporis Christi, feriae privilegiatae h. e. feria IV cinerum et feriae omnes maioris hebdomadae, tandem vigiliae privilegiatae h. e. Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes. His tamen addenda est, etsi decretum de hac silet, Commemoratio omnium fidelium defunctorum, propter indolem huius diei et sollemnitatem quam ipsi tribuit decr. 28 febr. 1917 [2].

3° Si benedictio nuptiarum facienda est in aliqua ex supra exceptis diebus, etiam in festis sollemnioribus in missa de die addenda est commemoratio pro sponsis. Haec tamen commemoratio, ut patet, fieri non potest ultimo triduo maioris hebdomadae, nec in missa de commemoratione omnium fidelium defunctorum. Unde concludendum est his diebus hanc benedictionem nuptiarum non licere.

4° Saltem diebus sollemnioribus, scilicet in festis Nativitatis Domini et Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes, sanctissimae Trinitatis et Corporis Christi, praedicta commemoratio pro sponsis orationi missae addenda est sub prima conclusione. Num hoc extendendum sit ad alia festa 1 classis aut immo num haec commemoratio pro sponsis in omnibus casibus supra indicatis addenda sit sub prima conclusione orationi missae, ex decreto non patet. Certe hoc non quadrat cum decreto generali 3022, sed huic derogatur per praesens decretum, nam generali modo tunc prohibebatur illa commemoratio addi sub prima conclusione.

Ex alia parte difficillime sustineri iam potest in casibus supra enumeratis illam commemorationem praescribi faciendam sub prima conclusione ut unica videatur dicta oratio ; hoc enim antiquitus quidem fiebat, sed novo iuri iam non videtur consentaneum ut patet ex decr. *Lauden.* 16 feb. 1918, quo etiam in duplicibus 1 classis collecta imperata praescribitur dicenda sub altera conclusione [3]. Alia ergo debet haberi ratio quae forsan ex collatis novis rubricis missalis apparebit.

Ios. PAUWELS, S. I.

---

[1] Sic intellegimus verba decreti *festa de praecepto, etiam 1 et 2 classis*, et concordat nostra interpretatio cum antiquo iure.

[2] PERIODICA t. 8, n. 151 p.

[3] PERIODICA t. 8.

72. — S. CONGR. RITUUM

ACTA SUMMATIM RELATA

I. *Signata est Commissio introductionis causae.*

1. Servi Dei *Guilelmi Iosephi Chaminade*, fundatoris Societatis Mariae. Pretocorii natus 8 april. 1761, sacerdos effectus, durante perturbatione Gallica quia iuramentum a constitutione civili cleri dare nolebat, Burdigalae clam vivere coactus est, ita tamen ut operibus caritatis et zeli servire non destiterit. Post exsilium trium annorum, Burdigalae redux plures sodalitates pro variis ordinum civibus rexit et in communi centro congregavit. Denique anno 1817 condidit *Societatem Mariae*, educationi populi addictam, quae in tres classes distinguitur Sacerdotum, laicorum litteris pollentium et opificum. Praeterea familiam religiosam a *Filiabus Mariae* nuncupatam fundavit. Die 22 ianuarii 1850 spiritum Deo reddidit. (A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 240-249). *Introductio causae. 8 maii 1918.*

2. Servi Dei *Iacobi Desiderati Laval*, sac. missionarii Congr. S. Spiritus (18 sept. 1803-9 sept. 1864). Postquam aliquot annos medicae arti se dedit, licitis, quibus paululum indulserat, voluptatibus valedicens in Seminarium S. Sulpicii ingressus est. Tertio a sacerdotio anno, sc. a. 1841 Vener. Servo Dei Liberman se adiunxit et cum eo Congr. S. Spiritus aggregatus est. Tandem per 23 annos insulam Mauritianam maximo zelo excoluit. (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 333-335). *26 iun. 1918.*

3. Servi Dei *Felic. de Andreis*, sac. et primi Superioris Congr. Missionis in America. Natus in dioec. Cuncensi, d. 12 dec. 1778 in tyrocinium sac. missionis a. 1797 admissus est. Scientias et linguas mire callens Taurini, dein Romae, sacras disciplinas docuit et sacrae praedicationi se dedit. A R^mo^ D^no^ Du Bourg in missionem Neo-Aurelianensem ductus, ibi se totum regendae domui noviciatus Missionis et operibus apostolicis operam impendit. Obiit d. 15 oct. 1820. (A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 374-377). *25 iul. 1918.*

II. *Decretum confirmationis cultus ab immemorabili exhibitum datum est.*

In causa *Urbinatensi*, in favorem *Ioa. Pelini Gothi*, vulgo *Pelingotto*, viri saecularis e tertio ordine S. Fr., orti a. 1240, vita functi a. 1304. — Inter viventes pro sancto habitus, statim post mortem miraculis claruit. Cultum exhibitum ab a. 1486 ad a. 1866 documenta processus demonstrant. A. 1912, Ordinarius Urbinatensis de immemorabili cultu constare decreverat. (A. A. S. 5 dec. 1918, 10, 513-516). *13 nov. 1918.*

III. *Decretum quo de martyrio et martyrii causa constare declaratum est :*

D. 13 nov. 1918, SS. D. N. Benedictus XV signare dignatus est commissionem introductionis causae 49 Servorum Dei, quorum 29 a. 1866-1867 in regione Coreana, alii a. 1860-1861 et 1862 in regione Cocincinensi passi sunt. Inter primos eminent novem Galli, ad Soc. Missionum exteros pertinentes, inter quos *Simeon Berneux*, episc. Capsensis et Vic. Apost. Coreae. (A. A. S. 5 dec. 1918, 10, 509-513). *13 nov. 1918.*

IV. *Decretum Beatificationis.*

Decreta Beatificationis.

Die vero 12 maii 1918, S. Pontifex declaravit tuto procedi posse ad sollemnem Ven. Servi Dei Oliverii Plunket Beatificationem. In causa memorantur verba quibus ss. XVI et XVIII Paulus V et Urbanus VIII Hibernos ad strenue pugnandum hortatus est. « Vos elegit Dominus ut novissimis et calamitosissimis hisce temporibus exemplum orientis iam ab initio Ecclesiae renovaretis : insistite bonis operibus ; vacate orationibus ; nihil facientes quod catholicae religioni et integritati illius fidei quam maiores vestri ab hac S. Sede acceperunt, adversetur : si vos Dominus in vinculis in plagis, in carceribus, in necessitatibus socios sibi adoptavit tribulationum, profecto faciet consocios gaudiorum. Cogitate quales habueritis virtutis magistros ; considerate fidei athletas qui vos praecesserunt : magnum illud expendite vestrae nationis elogium, ut insula Sanctorum communiter appellaretur, et merito, unde tot examina fluebant Sanctorum ad alias nationes instituendas ; ne proinde degeneres horum vos probetis ; haud pereatis de via iusta, sed quorum terram colitis, apprehendite disciplinam, et quorum virtutes praedicatis, opera sectemini, ne vano honore illos Patres habuisse gloriemini, quos piget imitari. » (A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 250-252).

Elogium Hiberniae.

V. *Approbatio miraculorum.*

Approbata miracula pro canonizatione.

Die 12 maii 1918, in causa *Pinnensi*, canonizationis *B. Gabrielis a Virgine Perdolente*, Clerici Professi e Congr. cler. reg. excalceatorum a SS. Cruce et passione D. N. I. C., S. Pontifex constare declaravit de duobus miraculis propositis (instantanea et perfecta sanatione « spondilite ankylosante », et hernia inguinali dextera inveterata). (A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 252-254). I. C., s. I.

73. — S. CONGR. DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

ACTA SUMMATIM RELATA

Approbantur Constitutiones duorum collegiorum.

In audientia Illo S. Cong. Secretario 18 dec. 1817 impertita, SS. D. N. Benedictus XV in perpetuum approbavit Constitutiones tum Venerabilis Collegii Anglici de Urbe ; tum Collegii Bedani de Urbe, postquam in plenario S. Congregationis coetu probari posse indicatae sunt.

Constitutiones referuntur in A. A. S. Res promulgata est per Secretariam S. Congr. die 29 dec. 1917, in festo S. Thomae episcopi Cantuarensis et Martyris. (A. A. S. 1 maii 1918, 10, 201-206).

74. — S. CONGR. PRO ECCLESIA ORIENTALI

ACTA SUMMATIM RELATA

I. *Paroecia Abbatiae Cryptoferratensis (Grotta ferrata) Vicario perpetuo demandatur.*

Paroecia Abbatiae Cryptoferratensis.

D. 12 apr. 1882, S. Congr. P. F. pro neg. Orient. decreverat ut monachus illius Abbatiae, ritum *latinum* servans, exerceret curam fidelium in eadem paroecia habitantium. Quum tamen haec cura monachos non

parum distrahat, S. C. pro Eccl. Or. decrevit d. 10 iul. 1918 ut Abbatia curam habitualem paroeciae servaret, cura autem actualis sacerdoti saeculari aut regulari latini ritus, seclusis Monachis, demandaretur. Hic Vicarius perpetuus praesentabitur curiae Tusculanae ab Abbate Cryptoferratensi. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 417).

II. *Seminarium pro pueris italo-praecis in monasterio Cryptoferratensi instituitur.* (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 419).

Seminarium italo-graecum.

Decr. 10 iul. 1918, hoc seminarium erectum est in quo pueri graeci ex Italiae locis Albaniae vicinis et ex Albania oriundi in studio et observatione ritus graeci informabuntur, quo facilius postea fidelium huius ritus in eisdem locis cura haberi possit. I. C., S. I.

---

75. — S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

DECRETUM 26 MAII 1918

Facultas celebrandi missam ad mentem summi Pontificis die XXIX iunii huius anni pro sacerdotibus qui inceperint « tricenarium gregorianum » vel teneantur obligatione applicandi missam iuxta peculiares fundationum leges

(A. A. S. 1 iun. 1918, 10, 255)

De motu proprio « Quartus iam annus » dubium ortum est

Cum SS^mus D. N. Motu Proprio *Quartus iam annus*, attenta circumsidentium malorum acerbitate, statuerit ut die XXIX proximi mensis Iunii, natali SS. Apostolorum Petri et Pauli, omnes animarum pastores quibus officium incumbit missam *pro populo* celebrandi, eam cum Ipso offerant ad divinam maiestatem propitiandam; et idipsum ceteri ex utroque clero facere si velint gratissimum sibi fore enuntiaverit; supplices preces exhibitae fuerunt pro iis sacerdotibus qui forte, ob inceptum *tricenarium Gregorianum* vel ob aliud iam susceptum onus, impediantur quominus pientissimis Sanctitas Suae votis, prout optarent, obsecundent. Ne quis igitur propter eiusmodi impedimenta a tam insigni pietatis officio abstinere debeat invitus, dum tanta premit calamitas, atque adeo singularis urget necessitas supplicandi, haec S. Paenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, indulget ut omnes et singuli sacerdotes qui obligationem celebrandi *Missas* quas vocant *Gregorianas* susceperint, possint ea die Sacrum facere secundum mentem Summi Pontificis, quin inceptum tricenarium exinde intermissum censeatur, dummodo postea continenter tricesimum missarum numerum expleant. Praeterea eadem S. Paenitentiaria, de specialissimo mandato Sanctitatis Suae, supradictis precibus benigne annuentis, indulget ut quotquot tenentur onere applicandi ipsa die missam iuxta peculiares fundationum leges, valeant ad praedictum finem eam respective per se vel per alios intra hebdomadam celebrare. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

apud sacerdotes qui tricenario Gregoriano vel missa fundata celebrandis detineantur.

Ipsis facultas fit celebrandi intentionem S.P., sublata obligatione eorum quantum ad effectum necesse est.

Datum Romae, in Sacra Paenitentiaria, die 26 maii 1918.

Dies (26 maii 1918).

O. Card. Giorgi, *Paenit. Maior.*
F. Borgongini Duca, Secretarius.

[73-75]

ANNOTATIONES

I. Postquam S. Gregorius I tricenaria missarum oblatione monachum suum Iustum e purgatorio liberavit, usus invalescere coepit offerendi pro defunctis missas per dies triginta continuos; quae missae, a primo auctore, dictae sunt Gregorianae. Usus iste, de quo BENEDICTUS XIV agit in opere suo *De sacrificio missae*, l. 3, c. 23, formaliter approbatus est decreto *S. C. Indulg.* 15 mart. 1884 (ACTA S. S., XVI, 509). Ullam autem indulgentiam annexam esse non constat. Cf. resc. S. Indulg. 24 aug 1888 (A. A. S. XXI, 256) et BERINGER-HILGERS, *Die Ablässe*, I, 547. 548).

Missae ad quodlibet altare dici possunt, ita ut haec una condicio implenda sit, ut dies non interrumpantur. Intercapedo tamen tridui sacri hebdomadae sanctae, per dies aliturgicos, speratae efficaciae non nocet. Cf. BENEDICTUM XIV, *Inst. can.* 34, n. 22.

Sicut autem haec, liturgica ratione excusata, interruptio non attenditur, sic nihil officiet interruptio quam Vicarius Christi suprema sua potestate ordinavit seu permisit.

Huiusmodi decretorum haec ceterum est utilitas, ut fideles ab omni numeri superstitione avocent, et veram causam efficaciae ipsis insinuent, id est, dispensationem thesauri Ecclesiae et communionem sanctorum.

II. Missam ad intentionem suam S. Pontifex non imperavit nisi iis sacerdotibus qui ex suscepto munere eandem pro populo applicare debebant. Summo tamen Pontifici integrum erat omnibus sacerdotibus imperare ut ad suam intentionem, pro publica causa, litarent, et hoc quasi tributum pro collata sacra potestate exsolverent. Nec obstat intentionem interne concipi. Etenim, applicatio missae potest tum actu interiore, tum actu exteriore et publico perfici. Actus autem qui utraque ratione fieri possunt potestate sociali imperari possunt. Haec enim modum publicum actum peragendi praescribere potest et sic substantiam actus attingere. Quid prohibet, v. g. quin S. Pontifex obliget sacerdotes ut missam ad eius intentionem celebrandam e suggestu populo denuntient?

Haec sola de decreto omnino perspicuo, et quod iam exsecutione completum est, observanda videntur.

---

76. — S. ROTA ROMANA

CAUSAE SUMMATIM RELATAE

I. **Causae matrimoniales.**

A. *Matrimonia de quorum nullitate constare declaratum est.*

Ex raptu. 1. Die 6 iun. 1917, in causa *Vicariatus Apostolici Mandchuriae Septemtrionalis*, nullitatis matrimonii, S. Rota nullum ob impedimentum

raptus declaravit matrimonium Ouang-i-chan et Ian-K-eoutze. Quando enim consensit, mulier non erat loco tuto reddita. P. 212-214 de condicione impedimenti raptus disseritur. (A. A. S. 1 maii 1918, 10, 207-215.)

Defectus consensus ex amentia.

2. Confirmata est d. 7 ian. 1918 sententia rotalis d. 15 maii 1915, in causa *Buscodunensi*, nullitatis matrimonii (*Jurgens-De Hoog*) (Period. VIII, p. 309, Ff). Appellatio ex officio facta erat. Plurima signa *amentiae* praematurae a testibus produntur et septem e decem medicis qui aegrotae curam impenderunt consensus defectum ex amentia asserunt. (A. A. S. 5 dec. 1918, 10, 517-526.)

B. *Matrimonia de quorum nullitate non constare declaratum est.*

Ex vi et metu.

1. Die 27 iul. 1917, in causa *Paderbornensi, Nullitatis matrimonii*, S. Rota sententiam Paderbornensem confirmans, declaravit non constare de nullitate, propter vim et metum aut consensus defectum, matrimonii *Algae de Laffert* cum *Carolo Bertels*. Notabile est quod dicitur, p. 216. 217, de nullitate matrimonii unde indissolubilitas exclusa est. (A. A. S. 1 mai 1918, 10, p. 215-221.)

Ex vi et metu.

2 Die 16 aug. 1917, S. Rota, in causa *Gallipolitana*, nullit. matr. (*De Donatis-Sorrentino*, confirmans sententiam curiae Gallipolitanae, declaravit de nullitate matrimonii non constare. Nullus testis ex scientia propria metum probat neque signa desunt adhortationes maternas sponsae causam tantum motivam matrimonii fuisse. (A. A. S. 1 iul. 1918, 10, 291-297.)

Ex vi et metu.

3. D. 3 ian. 1917, S. Rota decrevit in causa *Ambianen.* non constare de nullitate matrimonii *Watripon-Detuncq*. Uxor quae vim passa esse dicitur, noluit umquam in iudicium comparere, validum suum matrimonium dictitans. Mariti testimonia contradictionibus scatent. De vero metu nullus testis scientia propria testatur. (A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 378-387.)

Ex vi et metu.

4. D. 21 dec. 1917, S. Rota, confirmans sententiam curiae metrop. S. Franc. Californ. contra sententiam curiae *Montereyen. Angelorum*, declaravit non constare de nullitate matrimonii *Pirri-Servidio*. Minae non probantur et saltem earum efficacia desideratur. (A. A. S. 1 oct. 1918, 10, 420-430.)

II. **Causae varia iura spectantes.**

1. *Iuris funerandi.*

Ius funerandi paroco contra regulares addictum.

Die 15 nov. 1916, in causa *S. Iacobi de Cile, Iuris funerandi*, S. Rota, sententiam confirmans curiae dioecesanae, respondit parocho competere emolumenta funeraria percepta a Fratribus Minoribus quod funus contra ius parochi celebrassent, expensis deductis.

Observationes notabiles.

Causae expositio parum favere regularium privilegiis videtur, nec una e propositis regulis postea codice canonico reiecta est. Sic p. 260 probantur dicta a Berardi quod hodie regulares non sint exempti nisi in casibus expressis et stricte interpretandis : quod aperte contradicit c. 615 novi Codicis. In causis quae ad curam animarum spectant v. g. in quaestione de iure funerandi regulares ante tribunal episcopi conveniri posse dicti sunt, dum ex c. 1557 § 2, 2° causae religionum exemptarum S. Pontifici reservantur. Praesentia regularium in synodo dioecesana non probat tacitam conventionem qua regulares praescripta dioecesana servare adigerentur. (A. A. S. 1 iun. 1919, 10, 256-267.)

2. *Matricitatis.*

Matricitas honorifica agnoscitur.

Die 10 aug. 1917, in causa *Caietana, matricitatis*, S. R. R. decrevit constare de matricitate ecclesiae S. Martini in oppido *Vallecorsa*, sed tantum quatenus importat honorificam praeeminentiam. Ex documentis interdum, ut hac in causa, facile probatur *matricitas* alicuius ecclesiae : saepe vero difficillime demonstratur quaenam iura cum hac dignitate coniungantur. Neque auctores, neque sententiae rotales de *stricta* matricitate concordes sunt. Est enim matricitas improprie dicta et matricitas stricta sive honorifica, sive iuribus stipata. Sic ponens definivit : « matricitatem veram et propriam eam intellegimus quae fit per veram et propriam *dismembrationem* alicuius ecclesiae... vi cuius ecclesia parochialis noviter exsurgens, erigitur in *titulum*, cum *independenti* exercitio curae animarum, sive filialis dotetur ex reditibus ecclesiae matricis, sive non, sive consequenter matrix ius patronatus in filialem habeat, sive non » (p. 461). (A. A. A. 2 nov. 1918, 10, 453-469.) I. C., s. I.

---

77. — *COMMISSIO SPECIALIS RR. PP. CARDINALIUM*

Etiam quando appellationi aut restitutioni in integrum locus iam non est, causa praesertim matrimonialis novo iudicio submitti potest, si S. Pontifex id admittat. Quo in casu iudices ipse designat.

Nullitas matrimonii declaratur ex condicione consensus non impleta.

Commissio specialis Cardinalium a R. P. constituta et constans ex EE. PP. De Lai, Pompili, Gasparri, Giustini et Lega declaravit, die 2 aug. 1918, constare de nullitate matrimonii B. C. cum domino P. D. infirmavitque plures sententias contrarias. Oratrix enim *explicite* sponso condicionem consensus manifestaverat sc. ut omnino a labe contubernii immunis esset. De apposita condicione, cuius revocatio non probatur, sermonem fecit tempore non suspecto. (A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 388-390).

I. C., s. I.

---

78. — *S. SIGNATURAE APOST. TRIBUNAL*

Negatur restitutio in integrum.

Die 27 iun. 1918, reiectus est recursus Sac. Ajmo, in causa *Montisregalen.* in Subalpinis, pro restitutione in integrum contra sententiam latam d. 23 mart. 1912 in plena Signatura. Petitio nitebatur praetenso errore facti in actis, qui deesse nunc probatur. Examinatur immissio in possessionem beneficii per Episcopum, detrectante Capitulo capitularem institutionem ex metu poenarum iniquae legis civilis. (A. A. S. 2 sept. 1918, 10, 391-397). I. C., s. I.

79. — COMMISSIO CODICI INTERPRETANDO

RESPONSA 2-3 IUNII 1918

I.

De obligationibus clericorum (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 344)
(Lib. II, Pars I, Sect. I, Tit. III).

Utrum quod ad licentias habendas, de quibus in Decr. *Docente Apostolo*, 11 nov. 1910, recurrendum sit ad S. Sedem, an vero ad proprium Ordinarium (Can. 139, § 3).

Resp. : Ad Ordinarium proprium.

II.

De religionum regimine (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 344)
(Lib. II, Pars II, Tit. X, Cap. I).

Utrum praescriptum canonis : « Superiores minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium, etc. », applicetur quoque Superioribus seu directoribus scholarum, hospitalium, aliorumque piarum domorum (Can. 505).

Resp. : Affirmative, si Superiores isti seu directores sint simul Superiores religiosorum, sub sua potestate habentes alios religiosos, etiam quod ad religiosam disciplinam.

III.

De irregularitatibus aliisque impedimentis (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 344)
(Lib. III, Pars I, Tit. VI, art. II).

1. Utrum ad sensum canonis 987, n. 5, impediti sint qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati, vel quia aetate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati (Can. 987, n. 5).

Et quatenus negative :

2. Utrum praedicti non solum ad primam tonsuram et minores Ordines, sed etiam ad maiores licite promoveri possint, servato tamen, quoadusque hoc bellum perduraverit, Decreto *Ut ius certum*.

Resp. : Ad 1^m Affirmative.

Ad 2^m Provisum in primo.

IV.

De matrimonio (A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 345)
(Lib. III, Pars I, Tit. VII).

1. Si quis reclamet ius suum ex sponsalibus valide contractis contra partem inituram matrimonium cum alio, matrimonium eritne suspendendum usque dum actum fuerit de iusta causa dispensationis priorum sponsalium et de damnorum reparatione, si qua debeatur ? (Can. 1017, § 3).

Resp. : Negative, seu non amplius admitti actionem de iusta causa

dissolutionis sponsalium; actionem vero reparationis damnorum non suspendere matrimonii celebrationem.

2. Utrum actio reparationis damnorum, de qua in can 1017, § 3, pertineat ad forum ecclesiasticum, an ad civile.

Resp.: Actionem reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3, esse mixti fori.

3. Si sponsa vel sponsus inveniantur ignari doctrinae christianae, eritne locus eos respuendi a matrimonio, vel differendi matrimonium usque ad instructionem? (Can. 1020, § 2).

Resp.: Parochus servet praescriptum canonis 1020, § 2; et dum ea peragit quae Codex peragenda praescribit, sponsos ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinae christianae elementa: quodsi renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam canonis 1066.

4. Si pars post adeptam pubertatem plus quam per sex menses commorata fuerit in longissimis et dissitis oris, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii, sufficitne in casu, ad certiorandam libertatem status, iuramentum partis cum testimonio duorum, vel si non possint haberi duo, saltem unius, qui secum commorati fuerint illis in regionibus? (Can. 1023, § 2).

Resp.: Rem remitti prudenti iudicio Ordinarii, qui alias probationes, non excluso iuramento suppletorio, praescribere potest ad normam canonis 1023, § 2.

5. Quid si copula illicita et occulta praecesserit nativitatem nubendae, de qua dubitari possit an sit filia vel soror alterius partis? (Cann. 97, § 1, 1077, etc.).

Resp.: Provisum per can. 1076, § 3.

6. Vis novi Codicis estne retroactiva in his quae modificantur circa sponsalia et impedimenta tam impedientia quam dirimentia matrimonium, ita ut quodlibet ius acquisitum vigore sponsalium validorum nullimode possit reclamari, nisi in quantum novus Codex concedit, et contracta impedimenta modificata a novo Codice nulla dispensatione indigeant? (Cann. 4, 10).

Resp.: Codici, etiam quod ad sponsalia et impedimenta, non esse vim retroactivam: sponsalia autem et matrimonia regi iure vigenti quando contracta sunt vel contrahentur, salvo tamen, quod ad actionem ex sponsalibus, canone 1017, § 3.

7. Quid dicendum de matrimoniis, si quae nulla sint ex capite impedimentorum a novo Codice abrogatorum: fiuntne matrimonia illa valida ipsa promulgatione novi Codicis, vel etiam post dictam promulgationem indigent dispensatione, sanatione, etc.? (Cann. 4, 10).

Resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

8. Utrum cognatio spiritualis ante diem Pentecostes anni 1918 contracta ultra terminos nunc a novo Codice definitos in can. 768, a praefata Pentecoste die ipso facto cesset quod ad omnes effectus, an tantum desinat esse impedimentum ad matrimonium (Cann. 768, 1079).

Resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

V.

De custodia et cultu Sanctissimae Eucharistiae
(A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 346)
(Lib. III, Pars III, Tit. XV).

1. Canon 1267, quo statuitur in religiosa vel pia domo SS. Eucharistiam custodiri non posse nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio, intelligendusne est ita, ut prohibeatur eam custodiri praeterquam in publica ecclesia pro commoditate fidelium, etiam in principali oratorio, in quod sodales conveniunt ad exercitia pietatis communia? (Can. 1267).

Et quatenus negative ad primum.

2. An idem dicendum sit, si quando ecclesia clausa ordinarie maneat et fidelibus non pateat.

3. An idem dicendum sit de pluribus oratoriis in eadem pia domo pluribus sodalium classibus destinatis (duobus, tribus, etc., pro noviciis ex. gr, fratribus laicis, studentibus, sacerdotibus), ita ut unaquaeque classis suum distinctum habere possit oratorium cum SS. Sacramento; an potius hoc coartandum ad ecclesiam et oratorium pro tota communitate destinatum.

Resp.: Sensus canonis 1267 hic est. Si religiosa vel pia domus annexam habeat publicam ecclesiam eaque utatur ad ordinaria et cotidiana pietatis exercitia explenda, SS. Sacramentum in ea tantum asservari potest; secus in oratorio principali eiusdem religiosae vel piae domus (sine praeiudicio iuris ecclesiae, si quod habet); in eoque tantum, nisi in eodem materiali aedificio sint distinctae ac separatae familiae, ita ut formaliter sint distinctae religiosae vel piae domus.

VI.

De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi.
(A. A. S. 1 aug. 1918, 10, 347)
(Lib. IV, Tit. XVII).

An societatibus clericalibus sine votis applicentur can. 2386, 2387, 2389, 2410, 2411, 2413.

Resp.: Affirmative quod ad cann. 2386, 2387, 2389, quatenus sodales vitam communem degant; quod ad can. 2410 quatenus societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad ordines suis subditis; quod ad primam partem can. 2411, salvis quod ad reliqua constitutionibus; et quod ad can. 2413.

PETRUS Card. GASPARRI, *Praeses.*
Aloisius Sincero, Secretarius.

ANNOTATIONES

Ordinem responsionum sequemur in brevi nostra commentatione

I. *De obligationibus clericorum*

Decreto *Docente Apostolo* (quod in A. A. S. II, 910 non ad 11 sed ad 18 nov. 1910 ascribitur) *S. C. Consistorialis*,

Pius X, ad avertendos clericos ab iis, — etiam in operibus quae « socialia » vocantur, — suscipiendis muneribus quae « administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris a secretis, arcarii, horumque similium », statuerat ut clerici qui talia munera gererent, eadem infra quattuor menses ab edito decreto, dimitterent ; « utque in posterum nemo e clero quodvis id genus munus suscipere atque exercere » posset, « nisi ante ab Apostolica Sede peculiarem ad id licentiam » esset consecutus. Verum posterior Codex, c. 139, § 3, id generali modo sancit : « Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationum ». Quaestio itaque merito mota est utrum servanda adhuc esset severior disciplina decreti, quae, qua talis, non tam contra quam praeter Codicem esse videretur, an opera socialia mitiore disciplina generali frui possent. Hoc fortasse magis cum mente Codicis congruit. Cur enim opera a S. Sede commendata severiori disciplinae obnoxia faceremus ? Praeterea, canon 139 videtur totam de integro materiam Decreti *Docente* ordinare, ita ut secundum c. 22 huic decreto derogare dicendus sit. Quare Pontificia Commissio respondit licentias non iam a S. Sede sed a proprio Ordinario quaerendas esse ; a proprio Ordinario, id est ab Ordinario loci vel, pro casu, a Superiore maiore religionis clericalis exemptae.

II. *De religionum regimine*

Iuridica responsio dubia esse non poterat. Verum per eam magnae applicationis difficultates sublatae non sunt. Non pauci enim sunt directores scholarum, hospitalium, qui cum gubernii assensu instituendi sunt, quorum mutatio non possit sine periculo, v. g. « laicizationis » postulari.

Rursus autem fieri moraliter nequit ut in magnis istis Institutis, Superior religiosorum secundarium locum obtineat. Per dispensationes erit itaque providendum.

III. *De irregularitatibus aliisque impedimentis*

Applicatio c. 987, 5° ad propositum casum erat manifesta. Impediti declarantur « qui ad ordinarium militare servitium civili lege astringuntur ante quam illud expleverint. » Ii de quibus quaerebatur iis legibus astricti sunt et servitium non expleverunt. Ergo, c. 987, 5° in eos cadit.

IV. *De Matrimonio*

1° *De sponsalibus*. C. 1017, § 3, claris verbis, negata actione ad petendam matrimonii celebrationem, solam repa-

rationem damnorum concedit. Quare manifesta voluntate, legislator ecclesiasticus, civilem hodiernum imitatus, considerans quantum expediat ut matrimonia libere ineantur, noluit ipsam obligationem in foro externo sancire, ita ut ius ortum ex sponsalibus validis ex iis sit de quibus, secundum c. 1667, expresse cautum est ut ius illud actione non muniretur.

Quaeri potest an ipsam obligationem conscientiae impediverit et non admiserit nisi disiuntivam : vel nubas vel damna repares. Absolutam conscientiae obligationem subsistere opinamur. Nullo enim textu iuris sublata demonstratur conaturalis vis promissionis, quae est ut ad actum obliget.

2° *De actione ad reparanda damna,* sapienter responsum est eam esse mixti fori : canonici, quatenus cohaeret promissioni matrimoniali ; civilis, quatenus immediate agit de reparatione damni temporalis. Locus itaque datur praeventioni, ut iudex qui prius aditur ius habeat causam cognoscendi.

3° *De ignoratione doctrinae christianae.* Haec vis inest in responso dato, ut quos nimis ignorantes parochus deprehendat ipse edoceat saltem elementa doctrinae christianae ; quod si doceri nolint, iam tractandi sunt ut publici peccatores. Hi, ex c. 1066, per se repellendi sunt ; sed gravis causa maioris damni vitandi assistentiam non raro suadebit. Tunc de re consulendus est Ordinarius.

Si de ipsa crassa ignorantia S. Sedes tam benigne respondet, quanto minus fas erit iis negare sacramentum qui, satis instructi, libellum tamen catecheticum memoriter non tenent. Optimum sane erit ut fidelis recitatio obtineatur ; verum solis mediis licitis, nullis aliis, optima quoque procuranda sunt.

4° *De statu libero probando.* Proponitur casus ubi urgeat matrimonium et probationes regulares deficiant. — Commissio rem prudentiae Ordinarii remittendam esse ex c. 1023, § 2 existimavit. Iusiurandum enim suppletorium c. 1830, generaliter permittitur.

5° *De copula illicita et occulta,* unde nubenda possit esse filia vel soror sponsi, dubium movetur quod quasi expressis verbis solvitur c. 1076, § 3 : « Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis. »

6° *De vi retroactiva Codicis.* Quaestioni positae Commissio ita eleganter respondet ut veram retroactivitatis rationem inculcet. Tunc tantum lex retrorsum agit, si ipsam formam vel effectus praeteritos attingere praetendat ; minime vero si actum antea validum non infirmat quidem, sed nova efficien-

tia in posterum instruit. Unde valida manent sponsalia contracta ea ratione quae, quando facta sunt, sufficiens erat; dum non valent matrimonia contracta cum impedimento nunc fortasse sublato, sed quod tempore celebrationis vigebat. Verum sponsalia ista valida non iam actionem dabunt quae omnibus sponsalibus negatur.

7° *De convalidatione matrimoniorum* nullorum propter impedimentum sublatum. Responsum breve Commissionis non nullis dubiis locum dedit, de quibus referre possumus hoc privatum rescriptum Em. Card. Gasparri : Dubium : « Utrum responsum Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, datum 2-3 iun. 1919, sub n. 7, dum in fine dubii apposuit illud *etc.* intellegendum sit ita ut dispensatione vel sanatione eiusmodi matrimonia semper indigeant, an potius convalidari etiam possint ad normam c. 1133, § 1 et 1135? ». Responsum est a Card. Praeside : « Nel dubbio in questione (che del resto è tale quale fu presentato dal vescovo di Malta), non c'è la parola *sempre ;* e quell'*etc.* vuol precisamente dire che tali matrimonii debbono essere convalidati a norma del can. 1133 e sg. (idest latine : In dubio de quo agitur (et quod mansit sicut oblatum est ab episcopo Melitensi) non legitur verbum *semper ;* et istud *etc.* definite significat matrimonia illa convalidanda esse ad normam can. 1133 et sequ.).

Itaque omnis obscuritas orta est ex modo minus felici quo quaestio proposita erat. Re vera autem frustranea dispensatio ab impedimentis sublatis non est petenda; sed matrimonia non ipso facto convalidantur, verum observandae sunt normae communes c. 1133 et ss.

8° *De cognatione spirituali.* Responsio ista iisdem principiis nititur quibus responsum 6, de retroactivitate. Proximitas spiritualis manebit; sed, sicut ea quae nunc ex confirmatione oritur secundum c. 797, non iam erit impedimentum matrimoniale, propter c. 1079, qui soli cognationi de qua in c. 768 sermo est, effectum tribuit irritandi matrimonium.

V. *De custodia et cultu sanctissimae eucharistiae*

De oratoriis in quibus servari potest ss. eucharistia. Vera hic obscuritas dissipatur. Responsum autem est huius significationis : De unitate loci ubi ss. eucharistia servetur non est directa praescriptio. Cum debita licentia episcopi vel vi indulti, servari poterit in oratorio principali domus religiosae, etc. (c. 1265). Ius quoque manet eodem canone tributum ecclesiae quae annexa est domui religiosorum exemptorum, sive virorum sive monialium (quod valet quoque de antiquis monialibus quae, in Belgio et in Gallia, episcopali auctoritati

subiacent). Si nunc fit ut publica ecclesia simul sit oratorium communitatis, unicus remanebit legitimus locus servandae eucharistiae. Si vero erit diversum oratorium, in utroque loco servari poterit ss. eucharistia.

Separatae porro familiae religiosae vel piae domus plura oratoria principalia permittunt, quae donari possunt facultate servandi ss. eucharistiam. Occasio hic esse potest alicuius dubitationis et controversiae. Sorores quae in seminario operam suam praestant, procul dubio distinctam efficiunt familiam. — Si religiosi formati et novicii duas vicinas quidem sed distinctas domos habitent, quamvis unus sit rector communis, duae familiae distinctae esse videntur. — Communitas alumnorum adeo a communitate religiosorum secernitur, ut si alumni in speciali oratorio exercitia sua spiritualia obeant, probabile existimemus in isto oratorio aeque atque in oratorio religiosorum ss. eucharistiam servari posse. Sed novicii, qua tales, non videntur distinctam officere communitatem, quamvis Monitore ecclesiastico benignius responsum sit. Verum nova indulta temporaria sine magna difficultate conceduntur.

VI. *De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi*

Plures canones a religiosis ad societates sine votis transferuntur. De singulis pauca.

C. 2386 poenas fugitivis indicit. Applicatur societatibus quae vitam communem habent. Intellegas vitam communem obligantem, et quidem sub gravi. Quid fugitivus sit, dicitur c. 644, § 3.

C. 2387 punit religiosum cuius, propter dolum ab ipso commissum, professio declarata fuit nulla.

C. 2389 vult ut puniantur religiosi qui, in re notabili, violant vitae communis legem constitutionibus praescriptam.

C. 2410 punit Superiores qui subditos suos ad alium episcopum ordinandos mittere praesumpserint.

C. 2411 punit Superiores qui candidatum non idoneum seu impedimento c. 542 irretitum admiserint; — vel sine litteris testimonialibus; vel quempiam ad professionem admiserint contra c. 571, § 2.

Prima pars applicatur, quia, ex c. 677, societates c. 542 observare debent; posteriores partes applicabuntur, si constitutiones eadem praescribant.

C. 2413, sanctionibus contra Superiores et Superiorissas, fraudes impedit quibus translatione subditorum vel imposito silentio efficacia visitationis canonicae tolleretur.

Declarationes istae sunt extensivae. Etenim, ex c. 20, cum agitur de poenis, leges similes applicandae non sunt.

Sed valent tamquam leges, cum, sine ulla expressa relatione ad personas petentes vel sine mentione oratorum, responsa ista sint authentice promulgata in A. A. S. Cf. dissertationem de vi rescriptorum, PER., t. IX (hic supra), p. (1)-(3).

80. — SECRETARIA STATUS

ACTA SUMMATIM RELATA

Consecratio familiarum SS. Cordi operi apostolatus precum annectitur.

Epistola data d. 10 maii 1918, Em. Card. Gasparri RR. Italiae Ordinarios certiores facite S. Pontificem decrevisse ut directores operis « Apostolatus precum » diffundendae inter populum christianum consecrationi familiarum SS. Cordi Iesu praeessent — « Unio mulierum catholicarum » quae magno zelo in promovenda hac consecratione eminuit, fuse laudatur eiusque sociarum opera, quantum fieri poterit, utentur praefecti et Secretarii Apostolatus precum in novo opere constituendo et promovendo. — De consecrationis formulis, indulgentiis, etc. cf. A. VERMEERSCH, S. I. Pratique et doctrine de la Dévotion au S. Cœur. Tournai, Casterman, 1919, II, p. 350, ss. I. Ç., s. I.

81. — PROVISIO ECCLESIARUM

A. Archiepiscopi vel Episcopi *residentiales* et abbates *nullius per decreta S. C. Consistorialis* nominati sunt :

Conversano	14 mart.	1918.	R. D. P. Domin. Lancellotti, ep. Conversanen. (Italia).
Carthagène	4 apr.	»	R. D. Emm. Nogueira, ep. Caratingen. (Hispania).
Romae	6 »	»	R. P. Ild. Schuster, O. S. B. Abb. *Nullius* S. Pauli extra Urbem.
Cuzsco	19 »	»	R. P. D. Pet. Pasch. Farfan, ep. Cuschen., hactenus ep. de Huarar (Peruvia).
Lanciano	25 »	»	R. P. D. Nic. Piccirilli, arch. Laucianen., hactenus Compsanen. et Campanen. (Italia).
Philadelphie	1 maii	»	R. P. D. Dyon. Dougherty, arch. Philadelphien., hactenus ep. Buffalen (St. Foed. Am.).
Trenton	11 »	»	R. P. D. Th. Walsh, ep. Trentonen. (St. Foed. Am.).
S. Christophoro de Laguna	17 »	»	R. P. D. Gabr. Llompart, ep. S. Christophori de Laguna (Teneriffe).
Cadix	18 »	»	R. P. D. Mart. Lopez Criado, ep. Gadicen. (Hispania).
Quito	7 iun.	»	R. P. D. Emm. Mar. Polit., arch. Quiten., iam ep. Couchen. (Resp. Aequator.)
Spalato	8 iun.	»	R. P. D. Caric, ep. Spalaten. et Macarseen. (Dalmatia).
Foligno	18 »	»	R. P. D. Steph. Corbini ep. Fulginaten. (Italia).
S. Louis	» »	»	R. P. D. Helv. Gomes de Oliveira, ep. S. Ludovici de Maragnano, iam ep. Corumben. (Brasilia).

18 iun.	1918.	R. D. Georg. Beunet, ep. Aberdonen. (Scotia).	*Aberdeen*
20 »	»	R. D. Ios. Signore, ep. Thelesin. (Italia).	*Telese*
2 iul.	»	R. D. Joa. Iacono, ep. Melphicten. Iuvenacen. et Terlitien. (Italia).	*Molfetta*
10 »	»	R. P. D. Th. Gilmartin, arch. Tuamen., iam. ep. Clonferten. (Hibernia).	*Tuam*
17 »	»	R. P. D. Adulph. Turchi, arch. Aquilanae, iam ep. Canopitan. (Italia).	*Aquileia*
10 »	»	R. P. D. Michael. Gallager, ep. Detroiten., iam ep. Grandormen. (St. Foed. Am.).	*Détroit*
» »	»	R. D. Ter. Georg. Brady, ep. Bakerien. (St. Foed. Am.).	*Baker-City*
» »	»	R. D. Christ. Byrne, ep. Galvestonien. (St. Foed. Am.).	*Galveston*
18 »	»	R. D. Arth. Drossaerts, ep. S. Antonii (Texas).	*S. Antoine*
» »	»	R. P. Ioa. Mac Nicholas, O. P. ep. Duluthen. (St. Foed. Am.).	*Duluth*
» »	»	R. D. Iul. Jeanmard, ep. Lafayetten. (St. Foed. Am.).	*Lafayette*
3 aug.	»	R. D. Joa. Castel, ep. Tutelen. (Gallia).	*Tulle*
3 sept.	»	R. P. D. Oliv. Mar. de Durfort de Ciorac de Sorge, ep. Pictavien. iam ep. Lingonen. (Gallia).	*Poitiers*
14 »	»	R. D. D. Luc. Pappafava, ep. Pharen., iam ep. Sebenicen. (Dalmatia).	*Lesina*
» »	»	R. P. D. Lud. Humbrecht, arch. Vesontin., iam ep. Pictavien. (Gallia).	*Besançon*
24 »	»	R. D. Mar. Fulman, ep. Lublinen. (rit. lat.) (Polonia).	*Lublin*
» »	»	R. D. Ignat. Puzezdziecki, ep. Podlachien. (Polonia).	*Janow*
» »	»	R. D. Petr. Mankowski, ep. Camenecien.	*Kamenetz*
29 »	»	R. D. Ed. O'Rourke, ep. Rigen. (Lithuania).	*Riga*
30 »	»	R. P. D. Carm. Cesarano, arch. Compsan., iam ep. Octerien. (Italia).	*Conza*
7 oct.	»	R. P. D. Ign. Ridder, arch. Salisburgen. (Anglia).	*Salsbury*
23 »	»	R. D. Georg. Matulewicz, Congr. CC. RR. Marianorum, ep. Vilnen. (Lithuania).	*Vilna*
4 nov.	»	R. D. Ios. Lo Iacono, ep. Arianen. (Italia).	*Ariano di Puglia*

B. Vicarii (V. A.) et Praefecti Apostolici (P. A.) *brevibus apostolicis*, ope S. C. de P. Fide nominantur :

13 mart.	1918.	R. P. Bourgain, Sem. Paris. pro ext. m. V. A. Kien-tchang (China).	*Kien-tchang*
14 »	»	R. P. Pacif. ab Uden, O. M. Cap. V. A. (Bornea Neerland).	*Borneo (Holl.)*
24 aug.	»	R. P. Aug. de Clercq, Congr. Cordis Imm. B. M. V. (Scheut), V. A. de Kasai Super. (Congo Belg.).	*Kasai*
» »	»	R. P. Thom. Broderick, Soc. Miss. ad Afros, V. A. Nigeriae Occid. (Africa).	*Nigeria Occid.*
» »	»	R. P. Franc. Dantin, Congr. Miss. de la Salette, V. A. « de Betafo » (Madagascar).	*Betafo*
» »	»	R. P. Nic. Gonzalez Perez, Congr. Filiorum Cordis Imm. B. M. V., V. A. « de Fernando Poo » (Guinea Hisp.)	*Fernando-Poo*

82. — NOMINATIONES NUNTIORUM, INTERNUNTIORUM ET DELEGATORUM APOST.

Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici per *Litteras Secretariae Status* nominati sunt :

Portugalia	13 iul.	1918.	R. D. Achilles Locatelli, arch. tit. Thessalonicen.. Nunt. in Portugallia.
Belgium	1 oct.	»	R. D. Sebast. Nicotra, arch. tit. Heracleen., Nunt. in Belgio.

83. — NECROLOGIUM

N. B. Recensentur archiepiscopi et episcopi *residentiales*, Vicarii, Praefecti et Delegati Apostolici.

Bressanone	17 mali	1918.	R. D. Franc. Egger, ep. Brixinen. (Austria).
S. Luigi del Maragnano	4 iun.	»	R. D. Franc. de Paola et Silva, ep. S. Ludovici de Maraguano (Brasilia).
Santiago	8 »	»	R. D. Ioa. Ignat. Gonzalez Eyzaguirre, arch. S. Iacobi de Chile (Chili).
Burgos	» »	»	R. D. Ios. Cadeua y Eleta, arch. Burgen. (Hispania).
Salsbury	8 iul.	»	R. D. Balth. Kaltner, arch. Salisburgen. (Anglia).
Monaco	11 »	»	R. D. Aug. Vittorio Vié, ep. Monoecen. (Princ. Monaco).
Sion	12 »	»	R. D. Iul. Maur. Albert, ep. Sedunen. (Helvetia).
Alexandria	16 »	»	R. D. Ios. Capecci, ep. Alexandrinen. (Italia).
Albany	21 »	»	R. D. Thom. Cusak, ep. Albanen. (St. Foed. Am.).
Salomon			R. P. Ios. Forestier, Soc. Mariae, P. A. in insulis Salomonis (Oceania).
Rhetia			R. P. Fid. da Roma. O. M. Cap., P. A. Rhetiae.
Porto	31 aug.	»	R. D. Ant. Ios. de Souza Barroso, ep. Portugalien. Portugalia).
New-York	17 sept.	»	Em. P. Card. Ioa. Maria Farley, arch. Neo-Eboracen. (St. Foed. Am.).
S. Pauli di Minuesota	25 »	»	R. D. Ioa. Ireland, arch. S. Pauli de Minnerota (Brasilia).
Tepic	»	»	R. D. Andr. Segura y Dominguez, ep. (Mexico).
Indianapolis	»	»	R. D. Franc. Silas Chatard, ep. Indianopolis (St. Foed. Am.).
Trani et Barletta	6 oct.	»	R. D. Ioa Régine, arch. Tranen. et Barolen. (Italia).
Tarantaise	12 »	»	R. D. Ioa. Bapt. Biolley, ep. Tarantasien. (Gallia).
Lucera	15 »	»	R. D. Laur. Chieppa, ep. Lucerien. (Italia).
Nancy et Toul	21 »	»	R. D. Franc. Turinar, ep. Nanceyen. et Tullen. (Gallia).
Camerino	24 »	»	R. D. Cam. Morsschini, arch. Cameriuen. (Italia).
Luxembourg	dec.	»	R. D. Ioa. Ios. Koppes, ep. Luxemburgen.

SUMMA DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

Pagina

Quaestiones de Codice Canonico.
I. De vi rescriptorum SS. Congregationum . . . . . (1)
II. De abrogatione iuris anterioris . . . . . (3)
III. De impedimentis ingressus in religionem . . . . . (5)
IV. De variis litteris exigendis ante ingressum. . . . . (5)
V. De domicilio religiosorum . . . . . (7)
VI. De extensione vocis clerici ad religiosos . . . . . (9)
VII. De confessionum regimine apud religiosos et religiosas . . (9)
A. De religiosis viris . . . . . (10)
B. De monialibus et sororibus . . . . . (12)
VIII. De ordinatione religiosorum qui «iure saecularium» reguntur. (16)
De munere et Officiis Vicarii et Praefecti Apostolici secundum praesens ius . . . . . (19)
Art. I. Munus Vicarii et Praefecti Apostolici . . . . (19)
Art. II. Vicarii et Praefecti Apostolici potestas . . . . (21)
Art. III. Vicarii et Praefecti Apostolici iura et privilegia . . (26)
Art. IV. Vicarii et Praefecti Apostolici obligationes . . . (30)
Appendix. . . . . (34)

INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM

Pagina

SS. D. N. Benedicti Pp. XV

1. Litterae Encyclicae **Humani generis,** de praedicatione divini verbi (15 iun. 1917) 1
   Annotationes 8
2. Litterae Apostolicae quibus Ordini Praedicatorum conceditur absolutio generalis cum indulgentia plenaria in festo B. M. V. a Rosario (11 iun. 1917) 9
3. Epistola ad episcopos Mexicanos de novanda re publica et iuribus Ecclesiae (15 iun. 1917) 10
4. Epistola ad moderatorem generalem Fratrum ab Instructione Christiana, evoluto primo saeculo post Institutum conditum (16 iun. 1917) 11
5. Epistola ad Vicarium generalem Sacerdotum a Missione de sodalicio « Mulierum a caritate » abhinc tribus saeculis instituto (13 iul. 1917) 12
6. Nova ad moderatores populorum belligerantium adhortatio de componendis discidiis et pace restituenda (1 aug. 1917) . . 13
7. Motu proprio « **Cum iuris canonici** », Commissio instituitur ad Codicis canones authentice interpretandos (15 sept. 1917) . 16
   Annotationes 17
8. Motu proprio « **Dei providentis** », S. Congregatio pro Ecclesia Orientali instituitur (1 maii 1917) 19
   Annotationes 20
9. Motu proprio « **Orientis catholici** », de Instituto Pontificio studiis rerum orientalium provehendis (15 oct. 1917). . . 21
   Annotationes 22
10. Epistola ad Praepositum Sodalitatis SS. Cordium Iesu et Mariae, ob saecularem annum (22 oct. 1917) 23
11. Epistola ad Antistitam generalem Virginum Ursulinarum, anno trecentesimo exeunte a fundata ea familia (27 dec. 1917) . . 24
12. Epistola ad moderatorem pontif. Seminarii Kandiensis, anno XXV exeunte a seminario condito (4 mart. 1918) 25
47. Motu proprio « **Quartus iam annus** » de missa pro praesentibus societatis humanae necessitatibus die XXIX iunii celebranda (9 maii 1918). 95
   Annotatio 96
48. Epistola ad Card. Archiep. Mediolanensem et ceteros episcopos Insubris regionis de communi epistola gratiam persolvens (22 mai 1918) 96
   Annotatio 98
49. Epistola ad Vic. gen. Ordinis Mercedarii ob annum DCC ab ordine instituto (4 iun. 1918). 98
50. Litterae apostolicae « **Relatum est Nobis** » de Tertio Ordine Servorum B. M. V. in Hispania (25 iun. 1918) . . . 100
51. Litterae apostolicae « **Inclitum Fratrum Minorum** », de locis sanctis custodiendis (4 oct. 1918). 101

52. Epistola ad Card. Archiep. Quebecensem ceterosque Archiepiscopos et episcopos regionis Canadiensis. Mutua concordia iterum commendatur et dantur normae quod ad scholasticam legem a gubernio latam (7 iun. 1918) 104
53. Epistola ad Card. Archiep. Quebecensem de iis quae Summus Pontifex ex Apostolici Officii conscientia hoc bello gessit (16 oct. 1918) 106
54. Litterae encyclicae « **Quod iam diu** » quibus publicae indicuntur preces pro conventu de pace componenda (1 dec. 1918) 107
55. Epistola ad Card. a Secretis Status post pactas Italiam inter et Austriam indutias (8 nov. 1918) 108

Acta summatim relata

13. A. Ordinatur exercenda iurisdictio in ecclesia S. Mariae Angelorum in Portiuncula (21 nov. 1917) 25
B. Instituitur paroecia Urbana SS. Cordis Iesu pro animabus igne purgatorio expiandis (10 dec. 1917) 26
C. Dantur novae leges capitulo S. Blasii et Aegidii in oppido « Palombara Sabina » (3 febr. 1918) 26
D. Sermo a S. Pontifice habitus ad parochos et quadragesimales in Urbe contionatores (11 febr. 1918) 26
E. 1. Erigitur oppidum Brentwood, in Anglia, in episcopalem civitatem (20 iul. 1917) 26
Restituitur dioecesis Leiriensis in Lusitania (17 ian. 1918) . 26
Erigitur nova dioecesis Wagga-Wagga in Nova Galles Merid. (28 iul. 1917) 26
2. Sedes Adamantina, in provincia Brasiliae Mariannensi, in Metropolitanam erigitur (28 iun. 1917). 26
3. Duodecim paroeciales districtus ab archidioecesi Sydneyensi separantur (22 iul. 1917). 27
Sex districtus adiunguntur dioecesi Wilcanniensi, deinceps *Wilcannia-Forbes* vocandae (28 iul. 1917) 27
4. Episcopo Carnutensi (Chartres) et successoribus conceditur pallii usus (15 nov. 1917) 27
F. Eriguntur Vicariatus Apostolicus de Kassai Superiore (13 iun. 1917), de « Bahr-el-Gajal » (13 iun. 1917) de « Beni » (1 dec. 1917) et Borneae hollandicae (13 mart. 1918) . . . 27
G. 1. Basilicae minores declarantur: ecclesia *Tarvisina* Assumptionis B. M. V. (12 iun. 1917); ecclesia parochialis B. M. V. de Mercede, in urbe *Bonaërensi* (23 nov. 1917); templum *Neapolitanum* vulgo « *Del Carmine Maggiore* » (18 dec. 1917); ecclesia *Montis Senarii*, Ord. Servorum B. M. V. (2 ian. 1918); *Rothomagense* templum SS. Cordis Iesu (15 ian. 1918) 27-28
2. *Neapolitanum* sanctuarium Perdolentis Virginis, *Pontificii* cognomine decoratur (23 mart. 1918). 28
H. In Archisodalicia eriguntur: *Pro universo Orbe*, sodalitas SS. Cordis Iesu pro piandis animabus in purgatorio igne detentis, in Urbe (25 oct. 1917); Sodalitas a S. Gerardo Maiella, id archidioecesi Compsana (28 ian. 1918) 28
Pro dioecesi Bergomensi, mulierum sodalitas titulo B. M. V. et S. Vincentii a Paulo (24 april. 1917); *pro dioecesi Crucensi*, sodalitas Filiarum Mariae (14 dec. 1917); *pro archidioecesi Edimburgensi*, sodalitas in altaris ministerio inservientium, sub titulo S. Laurentii (28 feb. 1918) 28

Sodalitas a Passione Domini, in Urbe, in archisodalitatem *ad honorem* seu primariam erigitur (26 feb. 1918). . . . 29

I. Indulgentiae et privilegia conceduntur societati « *Veritatis catholicae Hiberniae* » (12 apr. 1917); « *Foederi Missae cotidianae* » in archidioec. Neo-Eboracensi (26 iun. 1917); sodalitati Urbanae *SS. Cordis Iesu pro piandis animabus in purgatorio igne detentis* (25 oct. 1917) 29

K. Indulgentiae conceduntur: pio operi « *Messbund* » 24 april. 1917); sodalitati Bergomensi *B. M. V. a Pietate et S. Vincentii a Paulo* (12 iun. 1917); templo *Granatensi* S. Ioannis de Deo (15 iun. 1917); *sodalibus et monialibus SS. Redemptoris* recitantibus precem ad B. V. Matrem de Perpetuo Succursu (16 iun. 1917); *sodalibus Instituti scholarum christianarum* recitantibus precem dictam « Magistri ante scholam » (10 iul. 1917); visitantibus *Nanceyensem* ecclesiam parochialem S. Vincentii a Paulo (1 sept. 1917); *sodalitati Filiarum Mariae* in civitate Cuneensi (14 dec. 1917); sodalibus *societatum a Passione Domini*, de Urbe (26 feb. 1918); archisodalitati S. Laurentii in Metropolitana *Edimburgensi* (1 mart. 1918); sodalitati *Nostrae Dominae a bona morte* (22 mart. 1918); Sororibus *Burdigalensibus* a S. Familia (3 april. 1918) 29-30

56. A. 1. Constituitur dioecesis *Aterradensis* in Brasilia (8 iul. 1918) 109

2. In urbe *Recife*, in Brasilia, ecclesia S. Petri in concathedralem erigitur (26 iul. 1918) 110

B. 1. Erigitur Vicariatus apostolicus *Borneae Hollandicae* (13 mart. 1918). 110

2. Erigitur Vicariatus apostolicus *de Betafo*, in insula Madagascar (24 aug. 1918). 110

3. Erigitur Vicariatus apostolicus *Nigeriae occidentalis* (24 aug. 1918) 110

C. 1. Monasterium *Ottenburanum* O. S. B. in Abbatiam sui iuris restituitur (2 iul. 1918) 110

2. Monasterium *Ciricieuse* (Szezyiziic) Ord. Cist. iura Abbatiae iterum recipit (6 iul. 1918) 110

D. Basilicae minores declarantur:

1. Templum SS. Cordis Iesu in urbe *Rothomagensi* (23 mart. 1918) 110

2. Ecclesia B. M. V. in caelum assumptae, loci « *Ravello* » in dioec. Amalphitana (31 iul. 1918) 110

3. *Templum Carthaginense* (5 aug. 1918) 111

4. Templum B. M. V. de Mercede in urbe *Barcinonensi* (20 sept. 1918) 111

5. Ecclesia S. Ioannis Florentinorum in *Urbe* (6 dec. 1918) . 111

E. Conceduntur indulgentiae et privilegia:

1-2. Ecclesiae loci « *La Chapelle-Montligeon*, dioecesis Sagiensis (10 mai 1918) 111

3. Sodalitatibus « Foederis missae cotidianae » in archid. *Birminghamiensi* (13 mart. 1918) 111

4. Sacerdotibus qui adhaeserint *Sodalicio « a Transitu S. Ioseph »* (25 iun. 1918) 111

F. Conceduntur indulgentiae:

1. Sodalitati *Nostrae Dominae a Bona morte* (22 mart. 1918) . 111

2. Sororibus *Burdigalensibus* a S. Familia (3 apr. 1918) . . 111

3. Foederi internationali « *Pro Pontifice et Ecclesia* » (8 iun. 1918) 111

4. Fratribus a *Scholis Christianis* pro recitatione cuiusdam orationis (17 iun. 1918) 112
5. Recitantibus orationem « *Sacratissimum Cor Iesu, protege familias nostras* » (26 iun. 1918). 112
6. Sodalibus *Infantis Iesu* titulo *Pragensis* (22 iul. 1918) . . 112
7. Occasione tridui sollemnis in *Assisiensi* Patriarchali basilica celebrandi (4 oct. 1918) 112
G. Approbantur constitutiones sodalicii SS. Crucifixi ad S. Marcelli de *Urbe* (1 iul. 1918). 112
H. Epistola ad episcopos Poloniae de apostolico visitatore ad examinandas omnes res ecclesiasticas Poloniae (25 april. 1918) 112

S. Congregationis S. Officii

14. Decretum de consiliis a vigilantia et iuramento antimodernistico (22 mart. 1918). 30
Annotationes 30
Novae annotationes (n. 43) 84
57. Instructio « **Naturalem et divinam** » super inviolabili sanctitate sigilli sacramentalis (9 iun. 1915) 112
Annotationes 113
58. Decretum circa quasdam propositiones de scientia animae Christi (7 iun. 1918) 115

Decretum summatim relatum

15. Opus quoddam damnatur (1 aug. 1917) 31

S. Congregationis Consistorialis

16. Instructio « **Ut quae** » pro sacra praedicatione (28 iun. 1917) . 31
Annotationes 37
17. Declaratio super decreto de choreis (10 dec. 1917). . . . 43
Annotationes 44
59. Decretum « **Proxima sacra** », de quibusdam Ordinariorum facultatibus (25 apr. 1918) 116
Annotationes 117
60. Responsum de facultate applicandi missas in favorem seminariorum (1 iul. 1918). 119
Annotatio 119
61. Decretum de clericorum frequentia in laicis Universitatibus (30 apr. 1918) 119
Annotationes 120
62. Decretum de extensione facultatum quorundam Ordinariorum durante bello (2 aug. 1918) 121
Annotationes 122
63. Responsum de legibus et decretis Conciliorum provincialium Westmonasteriensium (2 aug. 1918) 122
Annotationes 123
64. Decretum de dilatione relationis dioecesanae pro Episcopis Americae (8 aug. 1918) 123
Annotationes 124
65. Decretum « **Redeuntibus** » de clericis e militia redeuntibus (25 oct. 1918) 124
Annotationes 128

Decreta summatim relata

18. A. 1. Duae paroeciae a dioecesi *Ratisbonensi* avulsae dioecesi *August. Vindelic.* aggregantur (21 maii 1917). . . . 44

2. Circumscribuntur fines dioecesium *Florentinae et Faesulanae* (24 aug. 1917) 44
3. Mutatur titulus partis dioecesis de *Alagoas* (25 aug. 1917) . 44
B. Conceditur pallium *ad personam* episcopo Buscoducensi (27 apr. 1917) 44
C. Instituuntur episcopi inspectores clericorum in exercitu Francorum (19 nov. 1917) 45
66. A. Mutantur fines dioecesium *Marianopolitanae et S. Hyacinthi* (8 apr. 1918) 133
B. Praescribitur nova formula de relationibus dioecesanis (4 nov. 1918) 133
C. 1. Erigitur seu restituitur capitulum in cathedrali *Dromorensi* (25 apr. 1918) 134
2. Restituitur capitulum in ecclesia metropolitana *Montis-Regalis*, in Sicilia (3 sept. 1918) 134
3. Erigitur dignitas decanatus in capitulo cathedralis *Divionensis* (2 aug. 1918) 134
4. Erigitur dignitas decanatus in capitulo cathedralis *Lingonensis* (14 sept. 1918). 135
D. 1. Instituitur episcopus inspector clericorum in Francorum classi versantium (30 apr. 1918) 135
2. Instituitur Ordinarius clericorum et laicorum qui invadentibus hostibus locum in Italia cesserunt (3 sept. 1918) 135
E. Privilegia conceduntur capitulo cathedralis *Biellensis* (12 iun. 1918) 135
F. Monentur Ordinarii ut a quodam se sacerdotem aut religiosum dictitante caveant (A. A. S. 1 iul. 1918). 135

S. Congregationis Concilii

Acta summatim relata

19. A. De cathedratico, sede vacante (13 mart. 1911-20 aug. 1917) . 45
B. De obligatione parochi applicandi missam pro populo (17 mart. 1917). 45
C. De animarum cura habituali et actuali ad capitulum vel ad canonicum parochum spectante (17 mart. 1917) . . . 46
D. De validitate deliberationis capitularis (17 mart. 1917) . . 46
E. De facultate episcopi eximendi loca pia a iurisdictione parochiali (21 apr. 1917) 47
F. Vindicatur summa quaedam a canonico contra capitulum (14 iul. 1917) 47
G. De Ordinario sacerdotis saecularizati (17 ian. 1918). . . . 47
67. A. De oneribus choralibus et de praebendis (14 iul. 1917) . . 135
B. De vi consuetudinis immemorabilis quod ad praestationem (21 april. 1917) 136
C. De missa pro populo per turnum celebranda (12 iun. 1917, 9 feb. 1918). 136
D. De iure funeris in parocho quasi-domicilii (2 iun. 1917) . . 136
E. De stipendio missae binatae et missae pro populo (10 nov. 1917) 136
F. De cappellaniis ex cumulatis stipendiis missarum creandis (15 iun. 1917) 136

S. Congregationis de Religiosis

20. Responsa de aggregatione Filiarum S. Ursulae a S. Angela Mericia Tertio Ordini S. Franc. (20 maii 1917) 48
Annotationes 48
68. Decretum de regulis et constitutionibus religiosorum ad normam canonis 489 Codicis iuris Canonici reformandis (26 iun. 1918). 137
Annotatio 137

S, Cong. de Propaganda Fide

69. Notificatio circa missiones ad delegationes Apostolicas Constantinopolis, Aegypti, Mesopotamiae, Persiae et Syriae pertinentes (15 nov. 1918) 138

Acta summatim relata

21. De collegio pro missionibus exteris in Hibernia condendo (13 iun. 1917) 49

S. Congregationis Rituum

22. Responsum (Lugdunen.) de sacra unctione manus in ordinatione (12 ian. 1917) 49
Annotationes 50
23. Responsum (Tarvisina) de instrumentis vulgo *Campane tubulari* in organo (18 maii 1917). 51
24. Responsum de cantu liturgico gregoriano (23 iun. 1917) . . 51
Annotationes 52
25. Responsum (O. S. Bened.) de quibusdam occurrentiis (23 iun. 1917). 52
Annotationes 53
26. Responsum (Ferentina) de iis qui Episcopo in caeremoniis coram SS° exposito assistant (23 nov. 1917) 55
Annotationes 56
27. Decretum (Urbis et Orbis) de elevatione ritus ad duplicem I classis die 19 martii, S. Iosephi Sponsi B. Mariae Virg. Conf., et die 29 septembris, in Dedicatione S. Michaëlis Arch. (12 dec. 1917) 57
Annotationes 58
28. Responsum de Octavis simplicibus (18 ian. 1918) 61
Annotationes 61
29. Responsum (Lauden.) de collecta « pro re gravi » imperata (16 febr. 1918) 62
Annotationes 63
70. Responsum (Senen.) de veneratione reliquiae S. Crucis et de benedictione cum SS° (26 apr. 1918) 139
Annotationes 140
71. Responsum (Herbipolen.) de Missa votiva vel commemoratione pro sponsis (14 iun. 1918) 140
Annotationes 141

Acta summatim relata

30. I. Signata est Commissio introductionis causae: Servae Dei *Annae ab Angelis Monteagudo*, Ord. S. Dom. (18 iun. 1917); Servi Dei *P. Ioannis Ludovici Mariae Calco* Sac. Ord. Praedicat.

(8 aug. 1917) ; Servae Dei *Mariae Antoniae a S. Iosepho de Paz y Figueroa* (8 aug. 1917) ; (beatificationis seu declarationis martyrii) servorum Dei *Iosephi Mariae Diaz Sanjurio* episc. Platearum et *Melchioris Garcia Sampedro* episc. Tricomiensis (14 nov. 1917) ; Servae Dei *Annae Mariae Lapini* fundatricis religionis « Pauperum Filiarum a Sacris Stigmatibus » (23 ian. 1918) 63-64
II. Confirmatur cultus exhibitus *Nonio Alvarez Pereira* laico Ord. Carmelit. Calceat. (23 ian. 1918) 64
III. Declaratur constare de martyrio Ven. serv. Dei *Oliverii Plunket* archiep. Armacani (17 mart. 1918) 64

72. I. Signata est Commissio introductionis causae : 1. Servi Dei *Guilelmi Iosephi Chaminade*, fundatoris Societatis Mariae (8 maii 1918). — 2. Servi Dei *Iacobi Desiderati Laval*, sac. Congr. S. Spiritus (26 iun. 1918). — 3. Servi Dei *Felic. de Andreis* sac. Congr. Missionis (25 iul. 1918) 143
II. Confirmatur cultus exhibitus *Ioa. Pelini Gotho* (13 nov. 1918) . 143
III. Declaratur constare de martyrio 49 Servorum Dei qui in Coreana et Cocincinensi passi sunt (13 nov. 1918) . . . 143
IV. Decretum Beatificationis Ven. Servi Dei *Oliverii Plunket* (12 maii 1918) 144
V. Approbantur miracula pro canonizatione *B. Gabrielis a Virgine Perdolente* e Congreg. Passionis (12 maii 1918) 144

S. Congr. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus

31. Decretum de novo iuris canonici codice in scholis proponendo (7 aug. 1917) 64
Annotationes 65

Acta summatim relata

73. Approbantur constitutiones Collegii Anglici de Urbe, et Collegii Bedani de Urbe (18 dec. 1917) 144

S. Congregatio pro Ecclesia Orientali

Acta summatim relata

74. I. Paroecia Abbatiae Cryptoferratensis Vicario perpetuo demandatur (10 iul. 1918) 144
II. Seminarium pro pueris italo-graecis in monasterii Cryptoferratensi instituitur (10 iul. 1918) 145

S. Paenitentiaria Apostolica

75. Decretum de missa celebranda ad mentem summi Pontificis die XXIX iunii pro sacerdotibus qui aliunde tenentur obligatione celebrandi missam (26 maii 1918). 145
Annotationes 146

SECTIO DE INDULGENTIIS

32. Responsum de indulgentiis quoad fideles ritus orientalis (7 iul. 1917) 67
Annotationes 67
33. Responsum circa altaria privilegiata et missas in eis celebrandas (3-6 iul. 1917) 68
Annotationes 68

34. Responsum. Quo modo mutilati indulgentias lucrari possint quibusdam actibus cultus annexas (22 oct. 1917). . . . 70
Annotationes 70
35. Responsum circa pium viae crucis exercitium et indulgentias eidem annexas (14 dec. 1917). 71
Annotationes 72
36. Responsum de indulgentiis annexis piae praxi consecrandae familiae SS. Cordi Iesu, vulgo « Intronizatio » (1 mart. 1918) . 73
Annotationes 75

Acta summatim relata

37. Indulgentiae conceduntur recitantibus : A. Orationem quandam in honorem *S. Paschalis Baylon* (3 aug. 1917). — B. *Actum adorationis* I. C. ex testamento S. Francisci Assis. (3 aug. 1917. — C. Orationem ad *Sanctum* in cuius honorem *missa* celebrata est (16 nov. 1917). — D. Orationem quandam in honorem *Christi crucifixi* (18 ian. 1918). — E. Orationem quandam ad *S. Angelum Custodem* (1 febr. 1918). — F. Orationem ad B. Virginem pro *conversione Iaponiae* (26 febr. 1918). — G. Orationem quandam in honorem *SS. Cordis Iesu* (15 mart. 1918) 76-77

Sacrae Romanae Rotae

Acta summatim relata

38. I. A. Matrimonia de quorum nullitate constare declaratum est : 1. Propter vim et metum reverentialem (20 oct. 1916). — 2. Ex metu reverentiali mixto (11 dec. 1916). — 3. Propter defectum consensus, defectum testium et metum reverentialem mixtum (10 febr. 1917). — 4. Ex metu reverentiali mixto (2 april. 1917). 77-78
B. Matrimonia de quorum nullitate non constare declaratum est : 1. Propter vim et metum (1 aug. 1916). — 2. Propter vim et metum (9 mart. 1917). — 3. Propter vim et metum (5 iun. 1917) 78
II. C. Causa restitutionis in integrum (18 aug. 1916) 78
D. Causae dismembrationis : 1. Parochiae loci Celle in dioecesi *Lucana* (23 april. 1917). — 2. Parochiae Dominae Nostrae du Lac, dioecesis *Londonensis* in Canada (22 aug. 1917) 79
E. Causa locationis (27 april. 1917) 79
F. De iure dato ab episcopo in ecclesia parochiali (31 maii 1917) 79
G. Decretum de appellatione deserta (7 maii 1917) 80
III. Causae actae sub secreto : I. Nullitatis matrimonii : 1. Duae ex vi et metu (23 iun. 1917 et 24 nov. 1917). — 2. Tres ex impotentia viri (17 aug. 1917, 18 aug. 1917 et 19 nov. 1917). — 3. Duae ex impotentia mulieris (17 feb. 1917). — 4. Una ex condicione non impleta (27 mart. 1917). — 5. Una ex condicione turpi (3 apr. 1914). 80
II. Aliae causae : 1. Declaratur sustineri poenam statutam per sententiam curiae (17 iul. 1917). — 2. De iure patronatus (27 aug. 1917). — 3. Duae causae diffamationis et refectionis damnorum (11 aug. 1917). — 4. Diffamationis (20 nov. 1917) 80-81

76. I. A. Matrimonia de quorum nullitate constare declaratum est : 1. Ob impedimentum raptus (6 iun. 1917). — 2. Ex amentia (7 ian. 1918) 146
B. Matrimonia de quorum nullitate non constare declaratum est : 1. 2. 3. 4. Ex vi et metu (27 iul. 1917 ; 16 aug. 1917 ; 3 ian. 1917 ; 21 dec. 1917). 147
II. 1. Ius funerandi parocho contra regulares addicitur (15 nov. 1916) 148
2. Matricitas honorifica agnoscitur (10 aug. 1917) . . . 148

Commissio specialis RR. PP. Cardinalium

Causa summatim relata

77. Nullitas matrimonii declaratur ex condicione consensus non impleta (2 aug. 1918) 148

S. Signaturae Apostolicae Tribunal

Causae summatim relatae

39. A. De conventione inter parochum et sodalitatem (11 mart. 1917) 81
B. In causa circumscriptionis reicitur recursus contra sententiam incidentalem (18 maii 1917). 81
78. Negatur restitutio in integrum (27 iun. 1918). 148

Commissio Codici Interpretando

40. Responsum de dubiorum solutione (9 dec. 1917) 82
Annotatio 82
41. Responsa de lege abstinentiae et festis suppressis (17 febr. 1918) 82
Annotationes 83
79. Responsa : I. De obligationibus clericorum. — II. De religionum regimine. — III. De irregularitatibus aliisque impedimentis. — IV. De matrimonio. — V. De custodia et cultu SS. Eucharistiae. — VI. De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi (2-3 iun. 1918). . . . 149-151
Annotationes 151

Secretaria Status

42. Decretum de anticipato vigore quorundam canonum (20 aug. 1917) 83
Annotatio 84

Acta summatim relata

80. Consecratio familiarum SS. Cordi Iesu operi Apostolatus precum annectitur (10 maii 1918) 156
44. 81. Provisio Ecclesiarum 89. 156
45. 82. Nominationes Nuntiorum, Internuntiorum et Delegatorum Apostol. 90. 158
46. 83. Necrologium 91. 158

MONUMENTORUM

INDEX CHRONOLOGICUS

Quae monumenta *plene* exscripsimus hic *litteris italicis*, quae *summatim* relata sunt, hic litteris ordinariis indicantur

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1911	11 mart.	Decretum	S. C. Concilii	45	19A
1915	9 iun.	Instructio	S. Congr. S. Officii	112	57
1916	18 ian.	Litterae	Benedictus Pp. XV	28	13G2
»	1 aug.	Decisio	S. Romana Rota	78	38B1
»	18 »	Decisio	» »	78	38C
»	20 oct.	Decisio	» »	77	38A1
»	15 nov.	Responsum	» »	147	76II1
»	11 dec.	Decisio	» »	77	38A2
1917	3 ian.	Decretum	» »	147	76B3
»	*12 ian.*	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*49*	22
»	23 »	Decisio	S. Romana Rota	80	38I1
»	27 »	Resolutio	S. C. Concilii	47	19G
»	10 febr.	Decisio	S. Romana Rota	77	38A3
»	17 »	Decisio	» »	80	38I3
»	*4 mart.*	*Epistola*	*Benedictus Pp. XV*	*25*	12
»	9 »	Decisio	S. Romana Rota	78	38B2
»	11 »	Sententia	Signatura Ap.	81	39A
»	17 »	Resolutio	S. C. Concilii	45	19B
»	17 »	Resolutio	» »	46	19C
»	17 »	Resolutio	» »	46	19D
»	27 »	Decisio	S. Romana Rota	80	38I4
»	2 april.	Decisio	» »	77	38A5
»	3 »	Decisio	» »	80	38I5
»	12 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	29	13I
»	14 »	Litterae	» »	29	13K
»	17 »	Decisio	S. Romana Rota	80	38I3
»	21 »	Resolutio	S. C. Concilii	47	19E
»	21 »	Responsum	» »	136	67B
»	23 »	Decisio	S. Romana Rota	79	38D1
»	24 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	28	13H
»	24 »	Litterae	» »	29	13K
»	27 »	Decretum	S. C. Consistorialis	44	18B
»	27 »	Decisio	S. Romana Rota	79	38E
»	30 »	Decisio	» »	77	38A4
»	*1 maii*	*Motu proprio*	*Benedictus Pp. XV*	*19*	8
»	7 »	Decisio	S. Romana Rota	80	38G
»	18 »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*51*	23
»	18 »	Sententia	Signatura Ap.	81	39B
»	20 »	*Responsum*	*S. C. de Religiosis*	*48*	20

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1917	21 maii	Decretum	S. C. Consistorialis	44	18A$_1$
»	31 »	Decisio	S. Romana Rota	79	38F
»	2 iun.	Declaratio	S. C. Concilii	136	67D
»	5 »	Decretum	S. C. Rituum	63	30$_1$
»	5 »	Decisio	S. Romana Rota	78	38B$_5$
»	6 »	Declaratio	» »	146	76A$_1$
»	*11 iun.*	*Litterae*	*Benedictus Pp. XV*	*9*	**2**
»	12 »	Litterae	» »	27	13G$_1$
»	12 »	Litterae	» »	29	13K
»	12 »	Declaratio	S. C. Concilii	136	67C
»	13 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	27	13F
»	13 »	Epistola	S. C. de Prop. Fide	49	21
»	*15* »	*Litterae*	*Benedictus Pp. XV*	*1*	**1**
»	*15* »	*Epistola*	» »	*10*	**3**
»	15 »	Litterae	» »	29	13K
»	*16* »	*Epistola*	» »	*11*	**4**
»	16 »	Litterae	» »	29	13K
»	18 »	Decretum	S. C. Rituum	63	30$_1$
»	*22* »	Decisio	S. Romana Rota	79	38D$_2$
»	*23* »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*51*	**24**
»	*23* »	*Responsum*	» »	*52*	**25**
»	26 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	29	13I
»	28 »	Bulla	» »	26	13E$_2$
»	28 »	Instructio	S. C. Consistorialis	31	**16**
»	3-6 iul.	Responsum	S. Paenit. (Sect. de Indulg.)	68	**33**
»	7 »	Responsum	S. Paenitentiaria	67	**32**
»	10 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	29	13K
»	*13* »	*Epistola*	» »	*12*	**5**
»	14 »	Resolutio	S. C. Concilii	47	19F
»	14 »	Decisio	S. Romana Rota	80	38I$_5$
»	14 »	Declaratio	S. C. Concilii	135	67A
»	17 »	Decisio	S. Romana Rota	80	38II$_1$
»	20 »	Bulla	Benedictus Pp. XV	26	13E$_1$
»	27 »	Declaratio	S. Romana Rota	147	76B$_1$
»	28 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	26	13E$_1$
»	28 »	Breve	» »	27	13E$_5$
»	*1 aug.*	*Adhortatio*	» »	*13*	**6**
»	1 »	Decretum	S. C. S. Officii	30	**15**
»	3 »	Indultum	S. Paenit. (Sect. de Indulg.)	76	37A
»	3 »	Indultum	» »	76	37B
»	*7* »	*Decretum*	*S. C. de Semin. et Univ.*	*64*	**31**
»	8 »	Decretum	S. C. Rituum	63	30$_1$
»	10 »	Decretum	S. Romana Rota	148	76B$_2$
»	11 »	Decisio	» »	81	38$_3$
»	16 »	Declaratio	» »	147	76B$_2$
»	17 »	Decisio	» »	80	38I$_2$
»	18 »	Decisio	» »	80	38I$_2$
»	20 »	Resolutio	S. Congr. Concilii	45	19A
»	20 »	Decretum	Secretaria St.	83	**42**
»	24 »	Decretum	S. C. Consistorialis	44	18A$_2$
»	25 »	Decretum	» »	44	18A$_3$
»	27 »	Decisio	S. Romana Rota	81	38$_2$
»	*15 sept.*	*Motu proprio*	*Benedictus Pp. XV*	*16*	**7**
»	*15 oct.*	*Motu proprio*	» »	*21*	**9**

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1917	*22 oct.*	*Epistola*	*Benedictus Pp. XV*	*23*	**10**
»	22 »	Responsum	S. Paenit. (Sect. de Indulg.)	70	**34**
»	25 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	28	**13H**
»	25 »	Litterae	» »	29	**13I**
»	10 nov.	Declaratio	S. C. Concilii	136	**67E**
»	14 »	Decretum	S. C. Rituum	63	**30$_1$**
»	15 »	Bulla	Benedictus Pp. XV	27	**13E$_4$**
»	16 »	Indultum	S. Paenit. (Sect. de Indulg.)	76	**37C**
»	19 »	Decretum	S. C. Consistorialis	45	**18C**
»	19 »	Decisio	S. Romana Rota	80	**38I$_2$**
»	20 »	Decisio	» »	81	**38$_4$**
»	21 »	Motu proprio	Benedictus Pp. XV	25	**13A**
»	23 »	Litterae	» »	28	**13G$_1$**
»	*23* »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*55*	**26**
»	24 »	Decisio	S. Romana Rota	80	**38I$_1$**
»	1 dec.	Litterae	Benedictus Pp. XV	27	**13F**
»	9 »	Responsum	Commiss. Codicis	82	**40**
»	10 »	Bulla	Benedictus Pp. XV	26	**13B**
»	*12* »	*Decretum*	*S. C. Rituum*	*57*	**27**
»	14 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	28	**13H**
»	14 »	Litterae	» »	29	**13K**
»	14 »	Decretum	S. Paenitentiaria	71	**35**
»	18 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	28	**13G$_1$**
»	21 »	Declaratio	S. Romana Rota	147	**76B$_4$**
»	*27* »	*Epistola*	*Benedictus Pp. XV*	*24*	**11**
»	29 »	Constitutiones	S. C. de Semin.	144	**73**
1918	7 ian.	Declaratio	S. Romana Rota	147	**76A$_2$**
»	15 »	Litterae	Benedictus XV	28	**13G$_1$**
»	17 »	Bulla	» »	26	**13E$_1$**
»	*18* »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*61*	**28**
»	18 »	Indultum	S. Paenit. (Sect. de Indulg.)	76	**37D**
»	23 »	Decretum	S. C. Rituum	64	**30II**
»	23 »	Decretum	» »	64	**30$_1$**
»	28 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	28	**13H**
»	1 febr.	Indultum	S. Paenit. (Sect. de Indulg.)	76	**37E**
»	3 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	26	**13C**
»	9 »	Declaratio	S. C. Ooncilii	136	**67C**
»	11 »	Sermo	Benedictus Pp. XV	26	**13D**
»	*16* »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*62*	**29**
»	17 »	Responsa	Commiss. Codicis	82	**41**
»	26 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	29	**13H**
»	26 »	Litterae	» »	29	**13K**
»	26 »	Indultum	S. Paenit. (Sect. de Indulg.)	77	**37F**
»	28 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	28	**13H**
»	1 mart.	Litterae	» »	30	**13K**
»	1 »	Responsum	S. Paenitentiaria	73	**36**
»	13 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	27	**13F**
»	13 »	Breve	» »	110	**56E$_1$**
»	13 »	Litterae	» »	111	**56E$_3$**
»	15 »	Indultum	S. Paenit. (Sect. de Indulg.)	77	**37G**
»	17 »	Decretum	S. C. Rituum	64	**30III**
»	22 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	30	**13K**
»	*22* »	*Decretum*	*S. C. S. Officii*	*30*	**14**
»	22 »	Decretum	» »	84	**43**

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1918	22 mart.	Litterae	Benedictus Pp. XV	III	56F1
»	23 »	Litterae	» »	28	13G1
»	23 »	Breve	» »	110	56D1
»	3 april.	Litterae	» »	30	13K
»	3 »	Litterae	» »	III	56F2
»	8 »	Decretum	S. C. Consistoriaiis	133	66A
»	25 »	Epistola	Benedictus Pp. XV	112	56H
»	25 »	Decretum	S. C. Consistorialis	116	59
	25 »	Decretum	» »	134	66C1
»	26 »	Responsum	S. C. Rituum	139	70
»	30 »	Decretum	S. C. Consistorialis	119	61
»	30 »	Decretum	» »	135	66D1
»	8 maii	Decretum	S. C. Rituum	143	72I1
»	9 »	*Motu proprio*	*Benedictus Pp. XV*	*95*	47
»	10 »	Litterae	» »	III	56E1
»	12 »	Decretum	S. C. Rituum	144	72IV
»	12 »	Decretum	» »	144	72V
»	22 »	*Epistola*	*Benedictus Pp. XV*	*96*	48
»	26 »	Decretum	S. Paenitentiaria	145	75
»	2-3 iun.	Responsa	Comm. Cod. int.	149	79
»	4 »	*Epistola*	*Benedictus Pp. XV*	*98*	49
»	7 »	*Epistola*	» »	*104*	52
»	7 »	Decretum	S. Congr. S. Officii	115	58
»	8 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	III	56F3
»	11 »	Breve	» »	III	56E2
	12 »	Decretum	S. C. Consistorialis	135	66E
»	14 »	Responsum	S. C. Rituum	140	71
»	15 »	Declaratio	S. C. Concilii	136	67F
»	17 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	112	56F4
»	*25* »	*Litterae*	» »	*100*	50
»	25 »	Epistola	» »	III	56E4
»	26 »	Litterae	» »	112	56F5
»	26 »	Decretum	S. C. de Religiosis	137	68
»	26 »	Decretum	S. C. Rituum	143	72I2
»	27 »	Decisio	Signatura Apost.	148	78
»	1 iul.	Motu proprio	Benedictus Pp. XV	112	56G
»	1 »	Responsum	S. C. Consistorialis	119	60
»	2 »	Breve	Benedictus Pp. XV	110	56C1
»	6 »	Breve	» »	110	56C2
»	8 »	Bulla	» »	109	56A1
»	10 »	Decretum	S. C. pro Eccl. Or.	144	74I
»	10 »	Decretum	» »	145	74II
»	22 »	Litterae	Benedictus Pp. XV	112	56F6
»	25 »	Decretum	S. C. Rituum	143	72I3
»	26 »	Bulla	Benedictus Pp. XV	110	56A2
»	31 »	Breve	» »	110	56D2
»	2 aug.	Decretum	S. C. Consistorialis	121	62
»	2 »	Responsum	» »	122	63
»	2 »	Decretum	» »	134	66C3
»	2 »	Declaratio	Comm. sp. Cardin.	148	77
»	5 »	Breve	Benedictus Pp. XV	III	56D3
»	8 »	Decretum	S. C. Consistorialis	123	64
»	19 »	Breve	Benedictus Pp. XV	III	56D5
»	24 »	Breve	» »	110	56B2

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
918	24 aug.	Breve	Benedictus Pp. XV	110	**56**$_{B_5}$
»	3 sept.	Decretum	S. C. Consistorialis	134	**66**$_{C_2}$
»	3 »	Decretum	» »	135	**66**$_{D_2}$
»	14 »	Decretum	» »	135	**66**$_{C_4}$
»	20 »	Breve	Benedictus Pp. XV	111	**56**$_{D_4}$
»	*4 oct.*	*Litterae*	» »	*101*	**51**
»	4 »	Epistola	» »	112	**56**$_{F_7}$
»	*16* »	*Epistola*	» »	*106*	**53**
»	25 »	Decretum	S. C. Consistorialis	124	**65**
»	4 nov.	Decretum	» »	133	**66**$_B$
»	*8* »	*Epistola*	*Benedictus Pp. XV*	*108*	**55**
»	13 »	Decretum	S. C. Rituum	143	**72**$_{II}$
»	13 »	Decretum	» »	143	**72**$_{III}$
»	15 »	Decretum	S. C. Prop. Fide	138	**69**
»	*1 dec.*	*Litterae*	*Benedictus Pp. XV*	*107*	**54**
»	*10* »	*Declaratio*	*S. C. Consistorialis*	*43*	**17**

INDEX INITIORUM (INCIPIT) MONUMENTORUM

« **Cum iuris canonici** », Motu Proprio SS. D. N. Benedicti Pp. XV, 15 sept. 1917, commissio instituitur ad codicis canones authentice interpretandos, 16.

« **Dei providentis** », Motu Proprio SS. D. N. Benedicti Pp. XV, 1 maii 1917, S. Congregatio pro Ecclesia Orientali instituitur, 19.

« **Humani generis** », litt. encycl. SS. D. N. Benedicti XV, 15 iun. 1917, de praedicatione divini verbi, 1.

« **Inclitum Fratrum Minorum** », litt. apostol. SS. D. N. Benedicti Pp. XV, 4 oct. 1918, de locis sanctis custodiendis, 101.

« **Naturalem et divinam** », instructio S. Congregationis S. Officii, 9 iun. 1915, super inviolabili sanctitate sigilli sacramentalis, 112.

« **Orientis catholici** », Motu Proprio SS. D. N. Benedicti Pp. XV, 15 oct. 1917, de Instituto Pontificio studiis rerum Orientalium provehendis, 21.

« **Proxima sacra** », decretum S. Congregationis Consistorialis, 25 apr. 1918, de quibusdam Ordinariorum facultatibus, 116.

« **Quartus iam annus** », Motu Proprio SS. D. N. Benedicti Pp. XV, 9 maii 1918, de missa pro praesentibus societatis humanae necessitatibus die XXIX iunii celebranda, 95.

« **Quod iam diu** », litt. encycl. SS. D. N. Benedicti Pp. XV, 1 dec. 1918, quibus publicae indicuntur preces pro conventu de pace componenda, 107.

« **Relatum est Nobis** », litt. apostol. SS. D. N. Benedicti Pp. XV, 25 iun. 1918, de Tertio Ordine Servorum B. M. V. in Hispania, 100.

« **Ut quae** », instructio S. Congregationis Consistorialis, 28 iun. 1917, pro sacra praedicatione, 31.

INDEX ONOMASTICUS

Numeri seriem paginarum indicant, asteriscus annotationes significat

(D')Agnel, opus citatur, 98.

Alexander IV, De ordine mercedario, 99.

Angela a nostra Domina antist. gen. Ursulinarum epistola SS. D. N. Benedicti XV honoratur, 24.

Béguin (Card.). Epistola apostolica honoratur, 104, 106.

Benedictus XIV, de Vicariis et praefectis apostolicis, (24).

Beringer-Hilgers, opus citatum, 69*.

Bizzarri, De confessariis religiosarum, (12).

Blat. De Vicariis et praef. apostolicis, (33).

Bonaiuti, opus damnatum, 31.

Brandys, De confess. religiosarum, (15).

Brière (Yves de la), citatur, 98.

CIVILTÀ CATTOLICA, 98.

Clemens VI, confirmat iura Fratrum Minorum in Palaestina, 102.

Crawlay Matthaeus, R. P. Congr. SS. Cordium (Picpus), de Inthronizatione SS. Cordis, 75*.

Dudon, P. Opus citatur : Le Pape et la Guerre, 98.

ÉTUDES RELIGIEUSES, 98.

Ferrari (Card.), epistola SS. D. N. Benedicti XV honoratur, 96.

Gasparri (Card.), praefationis Codicis scriptor, 66*; — solvit dubium de convalidatione matrimonii, 154*.

Gregorius IX, laudat Fratres Minores, in Palaestina, 102.

Innocentius XI, confirmat privilegia Fratrum Minorum in Palaestina, 102.

Joa. Josephus, moderator Frat. ab instr. Christ. epistola SS. D. N. Benedicti XV honoratur, 11.

Laurin, De domicilio religiosorum, (7).

Leo XIII, C. Officiorum et munerum, (4); — De festo S^i Joseph, 59*; — Confirmat privilegia Fratrum Minorum in Palaestina, 102, 103.

LINZER O/SCHRIFT, (15).

Logue (Card.), gratulationes a Card. Praef. de P. F. accipit, 49.

Lopez, Vic. gen. Ordinis Mercedarii litteris pontificiis honoratur, 98.

Louwiek, R. P. sac. a Miss., epistola SS. D. N. Benedicti XV honoratur, 12.

Martinus V, confirmat privilegia Fratrum Minorum in Palaestina, 102.

Misonne, O. Opus citatur, 98.

Monin, A. Sententia de negotiis orientalium, 21*.

MONITORE ECCLESIASTICO, 155*.

NEDERL. KATHOL. STEMMEN, (5).

Pius IV, C. *Benedictus Deus*, de interpretatione Conc. Tridentini, 17.

Pius IX, confirmat iura Fratrum Minorum in Palaestina, 102.

Pius X, de abstinentia et festis, 83*; — de festo S^i Joseph, 59*.

Prat, R. P. Praepositus Sodal. SS. Cordium, epistola SS. D. N. Benedicti XV honoratur 23*.

Prümmer, R. P. (O. P.), De curandis animis a Missionariis, (20); — De pileolo violaceo pro Vicariis apostolicis, (28).

Schmalzgrueber, De domicilio religiosorum, (7).

Urbanus VIII, De miraculis, (3); — de studiis rerum orientalium, 22*.

Van de Ven, Ill. D., ep. Buscodunen., conceditur pallium, 45.

Vossen, R. P. (S. I.), moderator Seminarii Kandensis epistola SS. D. N. Benedicti XV honoratur, 25.

Wernz, S. J., De Vicariis apostolicis, (21); — de promulgandis declarationibus, 84*.

MONUMENTORUM & RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum

Asteriscus annotationes significat

Lineola interducta (—) = vocabulum in principio positum

Genericis verbis : — Archiconfraternitas, Confraternitas, Basilica, Canonici, Congregatio, Dioecesis, Ecclesia, Festa, Ordo, — supposuimus singula Archiconfraternitatum, etc. exempla quae in praesenti volumine occurrunt.

Abbatiae in sua iura restitutae : Ciriciensis, 110. — Ottobeurensis, 110.

Abrogatio iuris anterioris, (3).

Abstinentiae lex in Gallia, 82.

« **Acta S. Sedis** ». De responsis et decretis in ea insertis, (1). (2).

Actus adorationis, I. C. indulgentiis ditatur, 76.

Altare privilegiatum et onera perpetua Missarum, 68.

S. Angelus Custos. Oratio in eius honorem cum indulgentiis, 76.

Animae Christi. De scientia — dubia, 115.

Americae episcoporum relatio et visitatio SS. Liminum, 123.

Appellationis desertae causa, 80.

Archisodalitas SS. Cordis Iesu pro piandis animabus in purgatorio igne detentis, 28. 29 ; cuneensis Filiarum Mariae, 29 ; S. Gerardi Maiella, 28 ; edimburgensis S. Laurentii, 29 ; Passionis Domini, 28. 29.

Armeniae res territoriales ac politicae, 15.

Basilicae minores novae : Assumptionis B. M. V. in civitate Ravello, 111 ; Assumptionis B. M. V. in Urbe Tarvisina, 28 ; templi in honorem B. M. V. de Mercede in urbe Barcinonensi, 111 ; paroecia B. M. V. de Mercede, in civitate Bonaërensi, 29 ; ecclesiae del Carmine Maggiore, in Urbe Neapolitana, 29 ; templi Carthaginensis, 111 ; ecclesiae SS. Cordis Iesu, in Urbe Rhotomagensi, 29. 110 ; templi S. Ioan. Florentinorum, in Urbe, 111 ; ecclesiae Montis Senarii, 29.

Beatificationis et Canonizationis causae : Annae ab Angelis Monteagudo, 63 ; Annae Mariae Lapini, 64 ; Felic. de Andreis, 143 ; B. Gabrielis a Virgine Perdolente, 144 ; Guilelmi Iosephi Chaminade, 143 ; Iacobi Desiderati Laval, 143 ; Iosephi Mariae Diaz Sanjurio, 63 ; Mariae Antoniae a S. Iosepho Paz y Figueroa, 63 ; Melchioris Garcia Sampedro, 63 ; Nonii Alvarez Pereira, 64 ; Oliverii Plunket, 64. 144 ; Simeonis Berneux, 143.

Bellum. Ap. Sedes et indutiae inter Italiam et Austriam, 108. Damna plene condonanda, 14. Discidia componenda, 13. Iuris imperium restituendum, 14. Lites aequo animo solvendae, 15. Maris libertas in tuto ponenda, 14. Pax iusta

promovenda, 13. Populorum duces vocem S. Pontificis audiant, 15. Publicae preces pro conventu de pace, 107. Quid egerit Ap. Sedes ad mala minuenda, 13. 95. 97. 106. Territoria occupata reddenda, 15.

Binatio missae et stipendium, 136.

Breviarium benedictinum, 54.

Canada. De concordia inter fideles et de lege scholastica, 104.

Canones quorum vigor anticipatur, 83. 84.

Canonizationis causae. V. Beatificationis.

Cantus liturgicus gregorianus, 51.

Capituli Biellensis privilegium, 135. — cura animarum ac functiones parochiales, 46. — deliberatio invalida, 46. — dignitas decanatus, 134. 135. — erectio seu restitutio, 134. — lucra et fructus, 47.

Cathedraticum, 45.

Causae appellationis desertae, 80. — beatificationis et canonizationis, 63. 143. — binationis, 136. — circumscriptionis, 81. — dismembrationis, 79. — iuris funerandi, 136. 147. — iurium, 79. — locationis, 79. — matricitatis, 148. — matrimoniales, 77. 78. 80. 146. 147. 148. — missae pro populo, 136. — missarum manualium, 136. — onerum choralium seu praebendarum, 135. — praestationis, 136. — restitutionis in integrum, 78. 148.

Choreae reprehendendae, 43.

Circumscriptionis causa, 81.

Clerici durante servitio militari in crimen lapsi, 128. — e militia redeuntes, 124-133. — frequentantes laicas universitates, 119. — quod ad licentias, 149.

Clericus. Quomodo hoc nomen extendatur ad religiosos, (9).

Codex Canonicus in scholis proponendus et interpretandus, 64. Commissio ad eius canones interpretandos, 16; huius responsa, 149-155. Dubia a quibusnam proponi possint, 82. Quod ad facultates Ordinariorum, 116. Vis retroactiva quod ad matrimonia, 150. 152.

Cognatio spiritualis, 150. 154.

Collectae addi nequeunt post « Tantum ergo », 139. — pro re gravi, 62. — pro sponsis, 140.

Collegium Anglicum et Bedanum in Urbe, 144. — pro exteris missionibus in Hibernia, 49. — quid significet, (6).

Commissio specialis Cardinalium in causa matrimoniali, 148. — vigilantiae pro praedicatione, 36.

Commissionis ad Codicis canones interpretandos institutio, 16. — responsa de custodia et cultu SS. Eucharistiae, 151. 154; de delictis contra obligationes clericorum et religiosorum, 151. 155; de irregularitatibus aliisque impedimentis, 149. 152; de matrimonio, 149. 152; de obligationibus clericorum, 149. 151; de religionum regimine, 149. 152.

Concilii provincialis decreta in casu dismembrationis, 122.

Confessarius apud religiosos, (9)-(16). — et facultas commutandi preces pro indulgentiis, 71. — et sigillum sacramentale, 114.

Confessionis regimen apud religiosos, (9). — sigillum sacramentale, 112-115.

Confraternitates Septem Dolorum B. M. V. in Hispania, 101.

Congregatio Fratrum ab Instructione christiania, 11. — Fratrum a Scholis christianis, 29. 112. — SS. Redemptoris, 29.

S. Congregatio pro Ecclesia Orientali instituitur, 19.

SS. Congregationum decreta generalia, 17. — instructiones, 18. — responsa interpretativa, (1).

Conscientiae libertas in confessione, (10). (13).

Consecratio Familiarum S. Cordi Iesu, 73; eius formula, 74. — « Apostolatui precum » annectitur, 156.

Consilia vigilantiae, 30. 84.

Constitutiones religionum reformandae ad normam Codicis, 137.

Contionatorum electio, 2-4. 31. 38. 39. — idoneitas recognoscenda, 33. 39.

— monitio, 35. 41. — officia et obligationes, 4-8. 32. 33.

Copula illicita et occulta quod ad matrimonium, 150. 153.

SS. Cor Iesu. Consecratio familiarum, 73. 156. Inthronizatio, 73. Missa, 62. Orationes cum indulgentiis, 77. 112.

Coronae viae Crucis, 71.

Crucifixi cum indulgentiis viae Crucis, 71.

S. Crucis reliquiae deosculatio, 139.

Cultus exhibitus Ioanni Pelino Gotho confirmatur, 143.

Curae animarum obligatio pro missionariis, (20), etiam religiosis, (23).

Decanatus dignitas in capitulo, 134. 135.

Diffamationis causae, 71.

Dioeceses novae aut restitutae : Aterradensis, 109; Brentwood, 26; Leiriensis, 26; Maceiensis, 44; Wagga-Wagga, 26; — quarum fines mutantur; Augustae Vindel., 44; Bathurstensis, 27; Goulbournensis, 27; S. Hyacinthi, 133; Mariannensis, 109; Marianopolitana, 133; Ratisbonensis, 44; Sydoniensis, 27; Uberabensis, 109. — quarum nomina mutantur: Wilcanniensis, 27.

Dismembrationis causae, 79.

Doctrinae christianae ignorantia in sponsis, 150. 153.

Domicilium religiosorum, (7).

Ecclesiae indulgentiis ac privilegiis decorantur: Barcinonensis B. M. V. de Mercede, 111; Carthaginensis, 111; collegiata S. Blasii in Sabina, 26; SS. Cordis Iesu in Urbe, 26; S. Ioannis de Deo, in civitate granatensi, 29; S. Ioannis Florentinorum in Urbe, 111; loci *La Chapelle Montligeon*, dioec. Sagiensis, 111; loci *Ravello*, dioec. Amalphitanae; 110; S. Mariae Angelorum in Portiuncula, 25; Nanceyensis S. Vincentii a Paulo, 29; rothomagensis SS. Cordis Iesu, 110.

Episcopi inspectores clericorum in exercitu gallico, 45.

Episcopus Armacanus laudatur, 49. — et caerimoniae coram SS° exposito, 55. — et clerici redeuntes a militia, 124-133. — non potest relaxare obligationem Missae pro populo, 45. — et facultas eximendi loca pia a iurisdictione parochi, 47. — pallii privilegio ornatur, 27. 45. — et praedicatio, (2). (8). 32-36. 40. 42. — proprius ad ordinationem religiosorum (16). — et sigillum sacramentale, 113.

SS. Eucharistia asservanda in oratoriis, 151. 154.

Examen a contionatoribus exigitur, 34. 36.

Exercitus gallici clericorum inspectores, 45.

S. Familia. Preces in eius honorem cum indulgentiis, 111.

Festa occurentia, 52. — de praecepto, 82. — suppressa, 82.

Festum dedicationis S. Michaelis Arch. 57. — S. Ioseph Sp. B. M. V., 57.

Foedus missae cotidianae in archidioecesi Neo-eboracensi, 29.

S. Francisci Assis. actus adorationis cum indulgentiis, 76.

Funerandi iuris causae, 136. 147.

Gallia. Inspectores clericorum exercitus, 45; classis, 135. Lex abstinentiae, 82.

Iaponia. Oratio ad B. M. V. pro eius conversione, 77.

Indulgentiae omnes acquiruntur a fidelibus ritus orientalis, 67. — quomodo acquiri possint a mutilatis, 70. — viae crucis, 71. — a Vicariis et Praefectis Apostolicis concedendae (27). — pro exercitatione in honorem S. Familiae, 111. — pro recitatione actus adorationis I. C., 76, orationis in honorem S. Angeli Custodis, 76; SS. Cordis Iesu, 77. 112; S. Ioannis B. de la Salle, 112; B. Mariae V. pro conversione Iaponiae, 77; S. Paschalis Baylon, 76; Sancti de quo Missa celebratur, 76; orationis « Magistri ante scholam », 29; « Tu es Petrus » etc., 111; precum et rhytmi in honorem B. M. V. Perdolentis, 111. — pro triduo sollemni in honorem S. Francisci Assis., 112.

V. **Ecclesiae. Sodalitates.**
Ingressus in religionem, Impedimenta, (5). Litterae exigendae (5).
Inspectores clericorum in exercitu gallico, 45 ; in classi gallica, 135.
Institutum pontificium studiis rerum orientalium provehendis erigitur, 21.
Instructiones SS. Congregationum, 18. 19.
Insubris provinciae episcopi laudantur, 96.
Inthronizatio SS. Cordis Iesu, 73.
S. Ioannis B. de la Salle. Oratio in eius honorem cum indulgentiis, 112.
S. Ioseph Sp. B. M. V. cultus, 59. — festum, 58. 59.
Irregularitas ex defectu corporis et ex defectu lenitatis, 125. 126. 129.
Iuramentum antimodernisticum, 30. 85-88.
Iurium causae, 79. 81.
Kandiense seminarium laudatur, 25.
Laici et **conversi** religiosi redeuntes a militia, 127.
Librorum approbatio ac prohibitio a Vicariis et Praefectis Apostolicis, (25).
Litterae testimoniales pro ingressu in religionem, (6). — pro ordinatione religiosorum, (16). (17).
Loca pia ab episcopo exempta a iurisdictione parochi, 47. — sancta et Ordo Minorum, 101.
Locationis causa, 79.
Manuum unctio in ordinatione, 49.
B. Mariae V. Perdolentis preces et rhytmus indulgentiis ditantur, 111. — a Rosario festum cum absolutione, 9.
Martyrii declaratio : Iosephi M. Diaz Sanjurio, 63 ; Melchioris Garcia Sampedro, 63 ; Oliverii Plunket, 64 ; Simeonis Berneux, 143.
Matricitatis causa, 148.
Matrimonium. Responsiones Commissionis Codici interpretando, 149. 152.
Matrimoniales causae, 77. 78. 80. 146. 147. 148.
Metropolitana Adamantina noviter erecta, 26.
Mexicani Episcopi et novatio rei publicae ac iura Ecclesiae, 10.
S. Michaelis Arch. Dedicatio, 57. 60.
Ministri assistentes episcopo in caerimoniis coram SS° exposito, 56.
Missa adventicia quaenam sit, 70. — applicanda pro seminariis, 119. — praesentibus necessitatibus, 95, 145. — votiva SS. Cordis Iesu, 62 ; pro sponsis, 141. — pro populo : eius obligatio non relaxanda, 45 ; et Vicarii ac Praefecti apost., (21). (31) ; in festis suppressis, 82 ; per turnum, 136.
Missae stipendium in binatione, 136.
Missarum manualium causa, 136. — onera perpetua et altare privilegiatum, 68.
Missionarii et cura animarum, (20). — regulares subiecti Vicario et Praefecto apost., (22).
Missiones in delegationibus apost. Constantinopolis, Aegypti, Mesopotamiae, Persiae et Syriae, 138.
Modernismi iuramentum, 30. 85-88.
Moniales quod ad confessiones, (12). V. **Religiosae, Sorores.**
Mutilati quomodo indulgentias lucrentur, 70.
Novicii quod ad confessionem, (11). — redeuntes a militia, 127. 132.
Nuptiarum benedictio in diebus exceptis, 141. 142.
Occurrentia festorum, 52.
Octavae simplices, 61.
Onerum choralium causa, 135.
Opera damnata, 31.
Oratorium in quo asservari potest SS. Eucharistia, 151. 154.
Ordinarii personales instituuntur ; classis et exercitus in Gallia, 45. 135 ; profugorum in Italia, 135.
Ordinarius dispensans ab irregularitate, 124. — et consecratio familiae SS. Cordi Iesu, 74. — et contionatores, 34. 42. — et dispensationes matrimoniales, 117. 122. — et facultates pro foro interno, 116. — et facultates tempore belli, 121. — et facultates triennales, 116. — in locis dissitis, 117. 118. — et regulares, 132. — sacerdotis regularis

saecularizati, 47. — et sigillum sacramentale, 113. V. **Episcopus.**

Ordinatio religiosorum, (16). Unctio manuum in ordinatione, 49.

Ordo *S. Benedicti;* de occurrentia festorum, 52. — *Fratrum Minorum* et loca sancta, 101. — *Fratrum Praedicatorum;* absolutio in festo SS. Rosarii, 9. — *B. M. V. a Mercede* laudatur, 98.

Organum cum instrumentis « campane tubolari », 51.

Orientalis ritus fideles et indulgentiae, 67; et sodalitates, 67.

Orientalium negotia, 19. 20; in foro interno, 21. — missiones, 138. — studiorum institutum pontificium, 21.

Pallii privilegium episcopo Buscoducensi, 45; Carnutensi, 27.

Parochus quod ad praedicationem, 32. 42.

Parochialia iura praescriptione acquiri possunt, 45.

Paroeciae cura et functiones apud capitulum, 45. — dismembratio, 44. 133.

S. Paschalis Baylon. Preces in eius honorem cum indulgentiis, 76.

Poloniae Apostolicus visitator, 112. — merita ac dolores, 15.

R. Pontifex quid egerit ad belli mala minuenda, 13. 95. 97. 106; calumniis tamen oppetitur, 97. 101. 108; Ecclesiae honorem vult vindicare, 97.

Praedicatio verbi divini quibus normis regenda, 1-9. 31-43; quibus et quomodo interdicenda, 35; proxime et remote praeparanda, 36. 40.

Praefecti apostolici facultates, (21)-(26). — iura et privilegia, (26). — ius ad insignia protonotariorum, (28). — munera et obligationes, (19). (30)-(34). — obligatio constituendi Pro-praefectum, (33). — potestas ordinaria vicaria, (21); — potestas approbandi et prohibendi libros et scripta, (25). (27); concedendi indulgentias, (26); eligendi Vicarium generalem, (24).

Praefectura apostolica dividenda in partes distinctas, (32). — an synodum habere debeat, (32).

Praefecturae apostolicae noviter erectae: de Betafo, 110; Borneae Hollandicae, 110; Nigeriae occidentalis, 119.

Praestationis causa, 136.

Privilegium altaris, 68.

Processio feria V in Cena Domini, feria VI in Parasceve, in festo Corporis Christi, 56. — ab episcopo peracta, 57.

Profugorum Ordinarius in Italia, 135.

Pro-praefectus et Provicarius Apostolicus, (33).

Psalterium Benedictinum, 53. 54.

Regulae religionum ad normam Codicis reformandae, 137.

Rescriptorum SS. Congregationum vis, (1)-(3). (4).

Responsa interpretativa SS. Congregationum, (1).

Relatio dioecesana pro episcopis Americae, 123. Praescribitur nova formula, 133.

Religiosae ad quasdam missiones non mittendae, 138. Earum regulae et constitutiones reformandae, 137.

Religiosi ad quasdam missiones non mittendi, 138. — Contionatores, 34. 42. — durante militari servitio in crimen lapsi, 128. — et cura animarum in missionibus, (23), — et titulus ordinationis, (17). — frequentantes laicas universitates, 120. — missionarii Vicario et Praefecto apost. subiciuntur, (22). — redeuntes a militia, 125. 126. 127. — sacerdotes saecularizati cuinam Ordinario subsint, 47. Eorum regulae et constitutiones reformandae, 137.

Reliquiae S. Crucis deosculatio, 139.

Restitutionis in integrum causae, 78. 148.

Sacerdotes durante servitio militari in crimen lapsi, 128. — redeuntes a militia, 125. 129. 130.

Sanctus de quo missa celebratur. Oratio in eius honorem cum indulgentiis, 76.

Seminarium italo-graecum fundatur, 145. — Kandiense laudatur, 25. Ap-

plicatio missae in favorem seminarii. 119. Alumni seminariorum redeuntes e militia, 127. 131.

Sigillum sacramentale sanctissime servandum, 112-115.

Societas Filiarum S. Ursulae a S. Angela Mericia et Tertius Ordo S. Francisci, 48.

Societates clericales sine votis et Codex canonicus, 151, 155.

Sodalitates indulgentiis et privilegiis augentur : SS. Cordium Iesu et Mariae, 23; Foedus « Missae cotidianae » dioec. Birminghamensis, 111; Foedus « Pro Pontifice et Ecclesia », 111; Infantis Iesu Pragensis, 112; B. Mariae V, a Pietate et S. Vincentii a Paulo, Bergomi, 28. 29; Mulierum a charitate, 12; Nostrae Dominae a Bona morte, 30. 111; Opus vulgo « Messbund », 29; Opus piaculare de « Montligeon », 111; Transitus S. Ioseph, in Urbe, 111; Veritatis catholicae, in Hibernia, 29. Approbantur constitutiones sodalicii SS. Crucifixi ad S. Marcellum de Urbe, 112.

Sorores Burdigalenses a S. Familia, 30. 111. — quod ad confessiones, (12). V. **Religiosae.**

Sponsalia, 149. 150. 152.

Status liberi probatio pro matrimonio, 150. 153.

Stipendium missae binatae, 136. — missarum manualium, 136.

Superioris religiosi consensus et electio pro praedicatione, 32. 33. 42. — officium triennale, 149.

Symbolum in missa octavae simplicis, 61.

Synodus in vicariatu apostolico, (32); — in praefectura apostolica, (32).

Terrae sanctae loca et Ordo Fratrum Minorum, 101.

Tertius Ordo S. Francisci et Societas Filiarum S. Ursulae, 48. — Ord. Praedicatorum et absolutio in festo SS. Rosarii, 9; — Servorum B. M. V. in Hispania, 100.

Titulus in ordinatione religiosorum, (17).

Tricenarii Gregoriani permissa interruptio, 145.

Unctio manuum in ordinatione, 49.

Universitates laicae et clerici, 119.

Ursulinarum Unio romana laudatur, 24.

Vicariatus Apostolici dividendi in partes, (32). — noviter erecti : Bahr-el-Gazal; de Beni; Borneae hollandicae; Kassai superioris, 27. — synodum celebrare debent, (32).

Vicarii Apostolici facultates, (21)-(26). — iura et privilegia, (26). — ius ad insignia protonotariorum, (28). — munera et obligationes, (19); (30)-(34). — obligatio constituendi provicarium, (33). — potestas ordinaria vicaria, (21). — potestas approbandi et prohibendi libros et scripta, (25). (27); concedendi indulgentias, (26); constituendi sibi vicarium generalem, (24).

Vicarius generalis et delegatus Praefecti et Vicarii apostolici, (24).

Viae Crucis coronae, 71. — exercitium astante multitudine populi, 71. — piae uniones : « Viae crucis viventis » et « Viae crucis perpetuae », 71.

Visitatio domorum religiosarum quinquennalis, 133. — SS. Liminum pro episcopis Americae, 123.

Officina Artis Christianae

CAROLI BEYAERT, BRUGIS

Inter varia objecta religiosa, quae pietatem fidelium fovent, **STATIONES VIAE CRUCIS** primum locum tenere censemus.

A multis jam annis, Stationes nostras quae, fideli artificiosaque representatione passionis Christi templis ornamento sunt et catholicis aedificationi, in pluribus parochiis et conventibus ereximus.

Catalogus noster numerat centum circiter formâ et figurâ differentes Stationes, quae pulchritudine ac arte excellunt et ab omnibus plurimum laudantur.

Omnes Viae Crucis in variis formis atque dimensionibus, in metallo, cupro, linteo vel ligno obtineri possunt, conformes stylo templi vel oratorii, nec non temperiei regionis et pietati incolarum.

Imagines omnium *Praepositorum Generalium Societatis Jesu* pro plurimis ejusdem Societatis aulis nuper depinximus ad fidem documentorum quae in Domo generali istius Ordinis atque Bruxellis in bibliotheca Bollandiana servantur. Has picturas ab arte photographica in parva forma redditas, si petantur, mittere nobis gratissimum erit.

Pro aulis episcopalibus, canonicalibus atque conventualibus imagines dignorum et dignissimorum virorum qui vivunt vel qui mortui sunt, depingere, nobis assidue mandatur.

Documenta propria si in nostro laboratorio deficerent, sufficiet mitti photographiam claram atque distinctam, assignatis colore capilli, intentione vultus et aliis quae nobis utilia fore videntur.

Catalogum, indicia de tabulis viae crucis, de ceteris omnibus picturis religiosis necnon de pretio libenter rogatu tuo mittimus.

Periodica de re morali

v.9

CBPac

v.9

16752

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709